# S. EUSEBII SOPHRONII HIERONYMI ECCLESIAE DOCTORIS COMMENTARIORUM IN ISAIAM PROPHETAM LIBRI DUODEVIGINTI.

## Pars 3

## LIBER DECIMUS.

Decimus Liber, quem nunc habemus in manibus, nono et undecimo minor erit numero versuum, non sensuum magnitudine. Sequitur enim eum Sennacherib atque Rabsacis, et Ezechiae regis historia, quae nec jungi cum praecedentibus poterit, propter enormem voluminis magnitudinem, nec dividi propter gestorum continentiam. Itaque ut voluisti, virgo Christi Eustochium, et ut in commune placuit, sicut et superiores ante dictavi, et hunc et reliquos, si Christus annuerit, dictabo libros: ut prophetias sibi copulem, nec eas inter se lacerem atque discerpam, in alterius finem, et alterius principium. Audio praeterea scorpium, mutum animal et venenatum, super responsione quondam Commentarioli mei in Danielem prophetam, nescio quid mussitare, immo ferire conari in suo pure moriturum. Cujus naeniae et lugubres cantilenae necdum mihi proditae sunt, et idcirco dilata responsio: magisque obediendum tibi est, et sancto atque eruditissimo viro fratri tuo Pammachio, qui insatiabili studio me per litteras cogit, expleto Isaia, transire ad Ezechiel, cum ego et aetatis et corporis imbecillitate confectus, notariorumque penuria, qui me possent suis ministeriis adjuvare, in eodem adhuc luto haesitem, et vix partem Isaiae mediam in hoc volumine finiturum esse me credam. Quod si, te orante, complevero, arripienda erunt et reliqua, quae a quartodecimo Ezechiae regis anno habebunt initio.

## (Vers. 27 seqq.)

Ecce nomen Domini venit de longe: ardens furor ejus et gravis ad portandum. Labia ejus repleta sunt indignatione, et lingua ejus quasi ignis devorans. Spiritus ejus velut torrens inundans usque ad medium colli, ad perdendas gentes pro nihili, et frenum erroris quod erat in maxillis populorum. Canticum erit vobis, sicut nox sanctificatae solemnitatis, et laetitia cordis, sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini ad fortem Israel.

LXX: Ecce nomen Domini venit post tempus multum: ardens furor cum gloria, eloquium labiorum ejus, eloquium irae plenum, et ira furoris sicut ignis devorabit, et spiritus ejus sicut aqua in valle, trahens veniet usque ad collum, et dividetur ut conturbet gentes super errore vano, et abjicietur error, et assumet eos in conspectu eorum. Numquid semper oportet vos laetari et ingredi in sancta mea jugiter, quasi festa celebrantes atque gaudentes, ut ingrediamini cum tibia ad montem Domini ad Deum Israel? Dicamus primum juxta Hebraicum. Pendent ex superioribus, quae dicuntur. Corripuerat sermo propheticus eos, qui contempto auxilio Dei, propter Babyloniorum metum ad Aegyptios confugiebant, et est comminatus descendentibus, ibi eos esse morituros. Rursumque post poenas, eos qui illum audire voluissent, non solum sub Zorobabel, Ezra, et Neemia in Jerusalem habitaturos esse promittit, sed majorem cunctis credentibus verbo Dei, in consummatione mundi beatitudinem pollicetur, quando per omnes montes et colles current aquarum flumina, et interfectis multis, cadent turres. Luna quoque et sol clarius lumen accipient, quando vulnus populi sui Dominus alligaverit atque sanaverit. Licet haec quidam hyperbolicos Cyri temporibus, qui captivitatem populi relaxavit, in terra Judaea expleta contendant. Quia igitur bonis et

obedientibus praemia repromissa sunt, nunc econtrario malis et contemptoribus supplicia nuntiantur, quod Dominus impleat cogitationem suam, et ad puniendos longo post tempore veniat peccatores, et in cunctos sententiam proferat, spirituque oris sui interficiat impium, quem frenum appellat fuisse populorum: non quo subjectos regeret, sed quo subditos sibi traheret ad ruinam. Ponit quoque similitudinem torrentis usque ad collum inundantis, ut finem omnium venisse testetur. Sicut enim torrens suffocat eum, ad cujus collum usque pervenerit: sic judicium Dei neminem impunitum abire patietur. Cum autem frenum, quod in maxillis erat omnium gentium, cum subditis ei gentibus perdiderit, et ad nihili deduxerit: tunc vobis, inquit, sanctis, qui meis jussionibus obeditis, erit canticum, sicut nox sanctificatae solemnitatis, quando egressi estis de Aegypto, et in solemnitate Paschae jugum servitutis Aegyptiae projecistis, dicentes in mari Rubro Pharaone submerso: Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est (Exod. XV, 1): et cordis tanta laetitia, ut imitemini eos qui ad templum primitiva portantes, et in Dei torcularia deferentes munera, pergunt cum tibiis, cordis gaudia carmine demonstrantes. Haec juxta Hebraicum brevi sermone perstrinxi. In utraque autem editione annotandum est, quod non Dominus, sed nomen Domini post multum tempus adveniat, de quo in Psalmis dicitur: Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, et illuxit nobis (Ps. CXVII, 26). Et ipse loquitur in Evangelio: Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me (Joan. V, 43). Pulchreque post multum tempus venire dicitur, loquente humana impatientia: Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem? quamdiu avertis faciem tuam a me (Ps. XII, 1)? Ardens quoque furor ejus venit cum gloria, ut quem in humilitate contempsimus, in majestate timeamus. Hoc ipsum et in psalmis scriptum est: Deus manifeste veniet, Deus noster et non silebit. Ignis in conspectu ejus ardebit, et in circuitu ejus tempestas valida (Ps. XLIX, 3, 4). Ipse enim loquitur in Evangelio (Luc.

XII, 49): Ignem veni mittere super terram, et quam volo ut ardeat! Rursus in alio psalmo legitur: Vox Domini intercidentis flammam ignis (Ps. XXVIII, 7), ut quidquid in muodo est foeni, lignorum, et stipulae, rapiens flamma consumat. Unde et Deus ignis dicitur esse consumens (Deut. IV). Quodque infertur: Ira furoris ejus quasi ignis devorabit, plerique nostrorum iram furoris Domini diabolum interpretantur, cui tradimur ad puniendum, qui juxta librum Samuelis commovit David, ut numeraret populum Dei (II Reg. XXIV). Et Apostolus loquitur: tradere hujuscemodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat (I Cor. V, 5). Hic autem ipse furor, et ita furoris Domini nihil suo faciet arbitrio, sed quod sibi fuerit imperatum. Unde sequitur: Eloquium labiorum ejus, eloquium irae plenum. Spiritus quoque ejus quasi aqua in valle, trahens veniet usque ad collum, ut supplicia super peccatores faciat redundare. Qui dividetur pro qualitate meritorum, ut perdat atque conturbet gentes, quas vanus error seduxerat, et se intelligant supplantatas. Unde ad hujuscemodi homines dicitur, qui in mundi hujus potentia praevalebant, et suo delectabantur errore, non eos semper hoc esse facturos. Praecipueque locum istum et totam continentiam capituli adversus haereticos et omnia dogmata, quae sunt contraria veritati, dicta quidam nostrorum putant, quod cum judicii tempus advenerit, nequaquam ingrediantur sancta ejus et montem, id est Ecclesiam Domini: ne sub religionis nomine divitias congregent, abutanturque luxuria, quasi Domini festa celebrantes. Judaei de Gog et Magog gentibus, quas putant ab Aquilone venturas, id est, de Scythiae partibus, haec intelligunt, super quibus Ezechiel plenius loquitur (Ezech. XIX).

## (Vers. 30 seqq.)

Et auditam faciet Dominus gloriam vocis ejus, et terrorem brachii sui ostendet in comminatione furoris et flamma ignis devorantis: allidet in turbine et in lapide

grandinis. A voce enim Domini pavebit Assur virgam percussus, et erit transitus virgae fundatus: quam requiescere faciet Dominus super eum in tympanis et in citharis, et in bellis praecipuis expugnabit eos. Praeparata est enim ab heri Thopheth, a rege praeparata profunda et dilatata, nutrimenta ejus ignis, et ligna multa: flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

LXX: Et audiam faciet Dominus gloriam vocis suae, et furorem brachii sui ostendet cum furore et ira: et flamma ignis devorante fulminabit vehementer, et sicut aqua et grando descendens cum vi. Ad vocem enim Domini superabuntur Assyrii plaga qua percutiet eos, et erit ei per circuitum, unde habebat spem auxilii, in quo confidebat, ipsi cum tympanis et cithara pugnabunt contra eum ex commutatione. Tu enim ante dies decipieris: numquid et tibi regnum paratum est? Vallem profundam, ligna posita, ignem et ligna multorum; furor Domini, sicut vallis sulphure succensa. Poteram juxta Hebraicum quid mihi videretur currens legentibus indicare; sed quid faciam quorumdam studiis, qui nisi et LXX Interpretum editionem disseruero, imperfectum opus me habiturum esse denuntiant? Sequar igitur ceptum ordinem disserendi. Vox Domini atque praeceptum omnibus nota fient, et fortitudo brachii illius cunctis patebit, quando retributionis tempus advenerit, flammae et turbinis, grandinisque magnitudine, et pondere lapidum deseretur. Super quo Ezechiel in prophetia, ut diximus, Gog et Magog, pleno sermone scribit (Ezech. XXXVIII, et XXVIX). Ad vocis ejus imperium pavebit Assur virga percussus. Omnis impius, omnis imitator gentis inimicae: non quo in die judicii solus sit feriendus Assyrius, sed quo per Assyrium diabolum intelligamus. Denique sequitur: Et erit transitus virgae fundatus, quam requiescere faciet Dominus super eum. Et est sensus: Nequaquam eum virga percutiet, et eam rursus levabit, ac more caedentium finem faciet verberandi; sed quasi fundatam et alta radice defixam, in poenis ejus faciet

permanere. Quod si ita intelligitur, ubi erit poenitentia diaboli: praesertim cum dicatur peccatoribus: Ite in ignem aeternum, quem praeparavit Deus diabolo et angelis ejus (Matth. XXV, 41). In tympanis et in citharis, et bellis praecipuis expugnabit eos, daemones videlicet et omnes impios cum gaudio omnium Dominus expugnabit. Ab heri quippe et a praeterito tempore praeparata est a rege Domino Thopheth, id est, lata et spatiosa gehenna, quae eos aeternis urat ardoribus. Nutrimentum ejus et fomes ignis est, et ligna multa, id est, flamma perpetua et supplicia peccatorum. Et quoniam sicut de camino et fornace ignis ardentis, propheticus sermo praedixerat, servat metaphoram, ut flatu et spiritu ac voluntate Domini hanc succendi sciamus, mixto sulphure, quod flammas, excitat, ut faciat acriora tormenta. Porro quod juxta LXX dicitur: Ad vocem Domini superabuntur Assyrii plaga, cum percusserit eos, et erit ei in circuitu unde fuerat et spes auxilii, in quo confidebat: ipsi cum tympanis et cithara pugnabunt adversum eum ex commutatione, illud significat, quod adversum diabolum consurgant, qui ei quondam subditi fuerant, et cum gaudio atque laetitia dimicent contra eum ex commutatione subita: dum intelligentes errorem suum, destruunt eum a quo decepti fuerant. Diciturque ad illum, quod ab initio se ipse deceperit, regnum suum arbitrans sempiternum, cui parata sit gehenna et aeterna supplicia.

## (Cap. XXXI.---Vers. 1 seqq.)

Vae qui descendunt in Aegyptum ad auxilium, in equis sperantes, et habentes fiduciam super quadrigis, quia multae sunt, et super equitibus, quia praevalidi nimis, et non sunt confisi super Sanctum Israel: et Dominum non requisierunt. Ipse autem sapiens adduxit malum, et verba sua non abstulit, et consurget contra domum pessimorum, et contra auxilium operantium iniquitatem. Aegyptus homo et non Deus: et equi eorum caro, et non spiritus: et Dominus inclinabit manum suam,

et corruet auxiliator, et cadet cui praestatur auxilium, simulque omnes consumentur.

Post onus jumentorum Austri, et eos qui portabant in Aegyptum divitias suas ad populum, qui eis prodesse non poterat, qui sperabant auxilium in fortitudine Pharaonis, et habebant fiduciam in umbra Aegypti, sub specie reversionis in Jerusalem, et captivitatis laxandae sub Cyro, de consummatione saeculi, et de perfecta justorum beatitudine sermo propheticus nuntiarat: nunc revertitur ad eosdem, ad quos supra locutus fuerat ne descenderent in Aegyptum. Et hoc inter praesentem locum est et praeteritum, quod ibi praecipitur tribui Judae, ne descendant in Aegyptum; hic quia contempto imperio Domini, descensuri sint, prophetatur: et quod a Nabuchodonosor rege Babylonio, tam Israel quam Aegyptii, tam perfugae quam auxiliatores pariter trucidentur. De quo Jeremias plenissime loquitur (Jerem. XLII). Vae ergo his qui descendunt in Aegyptum, et Chaldaeorum metu, Domini praecepta contemnunt, sperantes in idololatris, qui Dei cultum habere se jactant; et in equorum auxilio confidentes, nesciunt scriptum: Fallax equus in salutem (Ps. XXXII, 17); habentque fiduciam super quadrigis et curribus et equitibus; nec recordantur illius Cantici: Equum et ascensorem dejecit in mare (Exod. XV, 1). Et non sunt confisi super Sanctum Israel, qui manentibus in terra Judaeae, suum per Jeremiam pollicebatur auxilium. Et Dominum non requisierunt; non quo non requisierint; sed quo requisiti verba contempserint. Unde et de malis sacerdotibus dicitur: Qui devorant plebem meam, Dominum non invocaverunt (Ps. LII, 5, 6). Ipse autem sapiens, id est, Dominus, adduxit malum super eos, et pessimum, videlicet Nabuchodonosor, sive absolute malum, rem significans, non personam: et verba sua non abstulit, quae locutus fuerat per Prophetas. Quamodrem consurget super tribum Judam domum pessimorum, et contra auxilium Aegyptiorum, qui operantur iniquitatem.

Aegyptus enim, sive Aegyptius, ut LXX transtulerunt, homo est, et non Deus: et equi eorum caro, et non spiritus. Unde et in Jeremia scriptum est: Maledictus homo qui spem habet in homine, et firmavit carnem brachii sui, et a Domino recessit cor ejus. Et erit quasi myrice in deserto, quae non videbit cum venerint bona (Jerem. XVII, 5, 6). Et in alio loco scriptum est. Vana salus hominis (Ps. LIX, 13), sive, ut melius habetur in Hebraeo, in homine. Cumque Dominus manum suam extenderit ad puniendum, vel declinaverit, sub metaphora aurigae, et frenos equorum currentium relaxarit, corruet auxiliator Aegyptius, et Israel cui praestabatur auxilium. Quae quidem possumus intelligere et super his qui persecutionis tempore et tribulationis atque angustiae non confidunt in Domino, sed in Aegyptiorum, id est, saecularium hominum auxilio; nescientes Abraham periclitatum in Aegypto, et Dei populum luto et lateribus in illa regione servisse, quae spiritualiter appellatur fornax ferrea. Unde et in Apocalypsi Joannis legitur: Locus in quo crucifixus est Dominus, spiritualiter vocatur Sodoma et Aegyptus (Apoc. XI, 8).

## (Vers. 4, 5.)

Quia haec dicit Dominus ad me: quomodo si rugiat leo et catulus leonis super praedam suam, cum occurrerit ei multitudo pastorum, a voce eorum non formidabit, et a multitudine eorum non pavebit: sic descendet Dominus exercituum, ut praelietur super montem Sion, et super collem ejus. Sicut aves volantes, sic proteget Dominus exercituum Jerusalem, protegens et liberans, transiens et salvans.

In manifestis unam ponimus editionem, maxime ubi nulla diversitas sensuum est. Caesis in Aegypto Israelitis et Aegyptiis, in quorum auxilio confidebant, revertentur in Jerusalem, Cyro regnante, captivi. Et per duas similitudines, Domini, qui se fore adjutorem promiserat,

fortitudo monstratur. Sicut leo et catulus leonis esuriens, si cernat ovium gregem, nulla pastorum voce terretur, et multitudinem eorum conscius virium suarum despicit: sic Dominus exercituum praeliabitur, non contra montem Sion et collem ejus, super montem Sion contra adversarios illius. Dicamus et aliam comparationem: Quomodo aves ut defendant foetus suos, nidos supervolant, et sive serpentem, sive hominem viderint, avesque alias ad pullos suos accedere, oblitae imbecillitatis, rostro pugnant et unguibus, doloremque pectoris garrula voce congeminant: sic Dominus proteget Jerusalem, et liberabit eam transiens, atque salvabit. Pro transeunte, in Hebraico PHASE: in tribus, praeter LXX, interpretibus --- ponitur. Ex quo manifestum est, Pascha, hoc est, Phase Domini, non passionem significare, sed transitum. Quod autem Dominus in similitudinem avium protector fuerit super Jerusalem, in Evangelio ipse testatur: Jerusalem, Jerusalem, quae occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt (Matt. XXIII, 37): quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas suas, et noluisti? Et in Deuteronomio dicitur de Domino: Expandit alas suas, et suscepit eos, et portavit eos in humeris suis (Deut. XXXII, 11).

## (Vers. 6 seqq.)

Convertimini, sicut in profundum recesseratis, filii Israel. In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui et idola auri sui, quae fecerunt vobis manus vestrae in peccatum. Et cadet Assur in gladio non viri, et gladius non hominis vorabit eum: et fugiet non a facie gladii, et juvenes ejus vectigales erunt. Et fortitudo ejus a terrore transibit, et pavebunt fugientes principes ejus, dixit Dominus, cujus ignis in Sion, et caminus ejus in Jerusalem. LXX: Convertimini, sicut in profundum recesseratis, filii Israel. In die enim illa abjiciet vir idola argenti sui, et idola auri sui quae fecerunt vobis manus vestrae in peccatum. Et cadet Assur in gladio non viri, et gladius non

**hominis vorabit eum, et fugiet non a facie gladii; juvenes ejus superabuntur: petra enim circumdabuntur quasi vallo, et vincentur; qui autem fugerit, capietur. Haec dicit Dominus: Beatus qui habet in Sion semen, et domesticos in Jerusalem. Pugnante Domino super montem Sion contra adversarios ejus, et protegente eam instar avium: Convertimini, o filii Israel; sive ut Symmachus transtulit: Agite poenitentiam, qui profundo consilio atque peccato a Domino recessistis. Si enim hoc feceritis, abjicientes idola aurea atque argentea, quae vobis fuerunt in peccatum, propter quae urbs vestra capta est: cadet Assur, cujus metu nunc fugitis, non gladio hominum, nec exercitus robore, sed Dei potentia. Significat autem Angelum, a quo centum octoginta quinque millia Assyriorum una nocte deleta sunt. Ipse quoque rex Assyrius fugiet non hominum gladium, sed iram Dei: ita ut juvenes illius atque robusti, vectigales fiant Medis, de quibus supra contra Babylonem dicitur: Ecce ego suscitabo vobis Medos. Et fortitudo Assyrii Domini terrore transibit atque praeteriet, omnesque principes illius pertremiscent. Dixit enim Dominus atque pollicitus est, cujus dixisse, fecisse est: et qui habet ignem in Sion, et caminum in Jerusalem, ut adversarios suos instar stipulae atque lignorum egrediens de Jerusalem flamma consumat. Alius hoc quod dicitur: In die illa abjiciet vir idola argenti sui, et reliqua, sic interpretatur, ut post reditum de captivitate Babylonia usque ad adventum Christi, numquam filios Israel idola coluisse testetur. Assyrium quoque in praesenti loco significari, non ab Angelo, sed a Medis esse superandum, quod vetustissimum et quondam potens regnum, post offensam Domini deletum sit, victoribusque servierit. Nazaraei locum istum sic intelligunt: O filii Israel, qui consilio pessimo Dei filium denegastis, revertimini ad eum et ad Apostolos ejus. Si enim hoc feceritis, omnia abjicietis idola quae vobis prius fuerant in peccatum, et cadet vobis diabolus, non vestris viribus, sed misericordia Dei: et juvenes ejus qui quondam pro illo pugnaverant, erunt**

Ecclesiae vectigales, omnisque fortitudo et petra illius pertransibit: philosophi quoque et omne dogma perversum ad crucis signum terga convertent. Domini quippe sententia est, ut hoc fiat: cujus ignis sive lumen est in Sion et clibanus in Jerusalem. Ignis et lumen Hebraice eisdem scribuntur litteris ALEPH, VAU, RES; quod si legatur UR, ignem sonat: si OR, lucem. Hoc ideo dictum est, quia pro igne, quem solus interpretatus est Symmachus, Aquila et Theodotio lumen transtulerunt. Quid sibi autem velit quod in Septuaginta legitur: Petra circumdabuntur quasi vallo, et vincentur: qui autem fugerit, capietur: scire non valeo. Nisi forte hoc possumus dicere, quod juvenes regis Assyrii qui vincendi sunt atque capiendi, ita circumdentur petra, hoc est, fortitudine Domini, quomodo vallo circumdatur civitas. Porro quod sequitur: Beatus qui habet semen in Sion, et domesticos in Jerusalem, sic interpretari possumus, ut dicamus praesentis loci sensui convenire, quod exhortetur sermo divinus fugientes in Aegyptum, reverti in Jerusalem, et filios procreare. Cui tanta beatitudo promittitur, ut Domini defendatur et protegatur auxilio. Et in alio loco de ea scriptum sit: Erit gloria domus hujus novissimae super priorem (Aggaei II. 10). Quod et ad Ecclesiam referri potest, visionem pacis et speculam, de qua scriptum est: Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei (Ps. LXXXVI, 2). Et alibi: Fluminis impetus laetificat civitatem Dei (Ibid. XLV, 3). In hac enim ignis est et caminus, qui devoret peccatores, et ligna, foenum, stipulamque consumat; sive lumen et clibanus, ut justorum claritas, et peccatorum poena monstretur.

## (Cap. XXXII.---Vers. 1 seqq.)

Ecce cum justitia regnabit rex, et principes in judicio praeerunt. Et erit vir sicut qui absconditur a vento, et celat se a tempestate: sicut rivi aquarum in siti, et umbra petrae prominentis in terra deserta. Non caligabunt oculi videntium, et aures audientium diligenter auscultabunt. Et

cor stultorum intelliget scientiam, et lingua balborum velociter loquetur et plane. Non vocabitur ultra is qui insipiens est, princeps: neque fraudulentus appellabitur magnus. Fatuus enim fatua loquetur, et cor ejus faciet iniquitatem, ut perficiat simulationem, et loquatur ad Dominum fraudulenter, et vacuefaciat animam esurientis, et potum sitienti auferat. Fraudulenti vasa pessima sunt: ipse enim cogitationes concinnavit ad perdendos mites in sermone mendacii: cum loqueretur pauper judicium. Princeps vero ea quae digna sunt principe cogitabit, et ipse super duces stabit.

LXX: Ecce enim rex justus regnabit, et principes cum judicio praeerunt. Et erit homo occultans sermones suos, et abscondetur quasi ab aqua quae fertur: et apparebit in Sion, sicut fluvius currens, inclytus in terra sitienti, et nequaquam erunt confidentes in hominibus: sed aures suas ad audiendum dabunt, et cor infirmorum attendet auditui: et linguae balbutientium cito discent loqui pacem: et nequaquam dicent stulto ut princeps sit, nec ultra dicent ministri tui, tace. Fatuus enim fatua loquetur, et cor ejus vana intelliget ad perficiendam iniquitatem, et loquendum ad Dominum errorem, ut dispergat animas esurientes, et animas sitientes vacuas faciat. Consilium enim pessimorum iniqua cogitabit: interficere humiles sermonibus iniquis, et dissipare verba humilium in judicio. Pii autem sapientiam cogitarunt, et hoc consilium permanet. Juxta LXX Interpretes qui dixerunt: Ecce enim rex justus regnabit, et principes cum judicio praeerunt, quae sequuntur superioribus copulanda sunt, his videlicet, in quibus prius capitulum finitum est: Beatus qui habet semen in Sion, et domesticos in Jerusalem. Juxta Hebraicum finita priore Prophetia, de his qui in Aegyptum descendebant: nunc alterius vaticinationis exordium est, de adventu scilicet Christi et Apostolorum ejus. Iste enim rex regnabit juste: non accipiens personam in judicio, et principes illius cum veritate praeerunt, causas, non homines considerantes. Et quicumque sub ejus umbraculo

fuerit, sic tutus erit in tribulationibus et angustiis, et in mundi istius tempestate, quomodo qui ventum et turbinem fugiens, se tuto abscondit loco; et qui purissimos fontes invenit in deserto; et qui in vehementi aestu solis ardore cuncta torrente, sub prominenti saxo requieverit. Ubi nos diximus: sicut rivi aquarum in siti, Septuaginta transtulerunt: et apparebit in Sion quasi fluvius currens. Verbum enim Hebraicum, de quo supra disputavimus, BASAION, quod dicitur in siti, sive in siccitate, et in invio, Septuaginta et Theodotio, in Sion interpretati sunt: pro SAION, id est, siti, legentes SION, quae eisdem litteris scribitur. Cum ergo Christus regnaverit, et principes ejus praefuerint in judicio, non caligabunt oculi credentium, et aures audientium diligenter attendent, quae prius surdae erant, et cor quondam stultorum intelliget scientiam, et lingua balbutientium atque mutorum, quae Christum sonare non poterat, pleno apertoque sermone Dominum confitebitur. Non vocabitur ultra is qui stultus est, princeps (I Cor. I). Stultam enim fecit Deus sapientiam hujus saeculi. Neque fraudulentus doctor atque perversus appellabitur magnus in populis: Scribae videlicet et Pharisaei, quibus Dominus loquebatur: Stulti et caeci, quid majus est, aurum an templum quod sanctificat aurum (Matth. XXIII, 17). Fatuus enim fatua loquetur, pro quo in Hebraico scriptum est: NABAL NABALA IDABBER. Hoc dicimus, ut verba Abigail exponamus, dicentis de Nabal Carmelio: Secundum nomen suum insipiens est (I Reg. XXV, 25). Vere enim fatuus fatua loquetur, et cor ejus perficiet iniquitatem, qui ibi timuit ubi non erat timor, et abutebatur stultitia pro sapientia, dicens: Hic si ex Deo esset, non solveret sabbatum (Joan. IX, 16). Quod usque hodie facit magister synagogarum, ut perficiat simulationem, pro qua in Hebraico scribitur ONEPH, id est, ---. Unde saepius ad Pharisaeos dicitur: Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae (Matth. XXIII, 14). Et loquatur, inquit, ad Dominum fraudulenter: Magister, scimus quia ex Deo es, et quod ad te non pertinet de hominibus, licet censum dari Caesari, an non (Ibid., XXII,

16, 17). Qui vacuefaciunt animas esurientis populi, et potum auferunt sitientibus turbis, nec ipsi intrantes, nec alios intrare patientes. Fraudulenti enim doctoris et principis omnia vasa et arma sunt pessima; qui concinnat dolos ad perdendos simplices in sermone mendacii, dicens ad deceptum populum: Scrutare et vide, quoniam Propheta de Galilaea non surget (Joan. VII, 52). Cum loqueretur ad eos pauper judicium, qui cum dives esset, pro nobis pauper factus est (II Cor. VIII). Vere enim judicium eis Christus, et justitiam loquebatur, dicens: Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite (Joan. X, 37). Iste pauper qui loquitur judicium, princeps et Dominus, ea quae principe digna sunt cogitabit, dicens: Non veni nisi ad oves perditas domus Israel (Matth. XV, 14). Et sollicitus erit pro infidelibus salvare cupiens non credentes; et stabit super duces suos Apostolos, quorum ad unum loquitur: Tu autem homo unanimis, dux meus et notus meus (Psal. LIV, 14). Haec juxta Hebraicum, a quo LXX non solum verbis, sed et sensibus in plerisque discordant. Cum enim rex justus regnaverit, et principes illius imperaverint cum judicio, erit homo abscondens sermones suos, homo qui per naturam Deus est, et abscondet sermones suos, loquens eis in parabolis (Matth. XX, 21, 23, 24, et XXV). Abscondet autem quasi ab aqua currente, a populo scilicet Judaeorum, qui instar aquae pro magistrorum voluntate huc illucque fertur et trahitur. Qui homo abscondens apud incredulos sermones suos, apparebit in Sion, hoc est, in Ecclesia quasi fluvius inclytus, et decurrens in terra sitienti. Apparebit enim gentilium populo, qui prius veritatis patiebatur sitim; et rigabit arva sitientia fluvius Dei, de quo scriptum est: Fluminis impetus laetificat civitatem Dei (Psal. XLV, 4). Et in alio loco: Flumen Dei repletum est aquis (Psal. LXIV, 10). Ipse enim loquitur in Evangelio: Qui sitit, veniat ad me, et bibat. Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae (Joan. VII, 38). Tunc nequaquam habebunt fiduciam in magistris; sed

praebebunt aures suas ad audiendum Dominum; et tam corde quam lingua pacem Domini fatebuntur, deserentes stultos principes et ministros eorum, qui credentibus in Jesum, imperabant silentium. Quae sequuntur, eumdem prope sensum, quem et Hebraicum, continent; et possunt haereticis coaptari. Hi enim loquuntur contra Dominum mendacium, et pervertunt animas esurientes atque sitientes, et vacuas abire faciunt; ut etiam si quid naturaliter boni habeant, magistrorum amittant vitio, quorum omne consilium est, ut perdant humiles iniquis sermonibus, et dissipent verba humilium in judicio. In quo pariter annotandum, quod qui ab eis decipi potest, humilis sit, et terrae cohaerens.

## (Vers. 9 seqq.)

Mulieres opulentae, surgite et audite vocem meam: filiae confidentes, percipite auribus eloquium meum. Post dies et annum, et vos conturbabimini confidentes: consummata est enim vindemia: collectio ultra non veniet. Obstupescite opulentae, conturbamini confidentes: exuite vos, et confundimini.

Pro quo Symmachus interpretatus est, nudamini: sequitur. Accingite lumbos vestros, super ubera plangite, super regione desiderabili, super vinea fertili: super humum populi mei spina et vepres ascendent: quanto magis super omnes domos gaudii civitatis exsultantis? Domus enim dimissa est: multitudo urbis relicta est: tenebrae et palpatio factae sunt super speluncas usque in aeternum: gaudium onagrorum pascua gregum. Donec effundatur super nos spiritus de excelso: et erit desertum in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur. Et habitabit in solitudine judicium, et justitia in Charmel sedebit. Et erit opus justitiae pax: et cultus justitiae silentium: et securitas usque in sempiternum. Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, et in tabernaculis fiduciae, et in requie opulenta. Grando autem in descensione saltus, et

humilitate humiliabitur civitas. Beati qui seminatis super omnes aquas, immittentes pedem bovis et asini. LXX, pro tenebris et palpatione, quae factae sunt super speluncas usque in sempiternum, transtulerunt, et erunt villae tuae speluncae usque in aeternum: quod in Hebraico dicitur OPHEL et BEEN, quas Hebraei duas turres in Jerusalem fuisse arbitrantur, excelsas atque firmissimas, quae his appellantur nominibus. Quarum prior interpretatur tenebrae, sive nubilum, quod usque ad nubes erigeret caput. Altera, probamentum et firmitas, sive, ut Symmachus vertit, inquisitio: eo quod in contemplando culmine ejus oculi fallerentur. In fine quoque capituli ita interpretati sunt: Beati qui seminant super omnem aquam, ubi bos et asinus calcant. Post vocationem gentium, quando Christus rex imperaverit cum justitia, et principes ejus, Apostoli et apostolici viri praefuerint credentibus cum judicio, dirigetur sermo propheticus ad mulieres opulentas, quas vel urbes Judaeae, vel synagogas illius temporis, vel ut plerique arbitrantur, matronas divitum quondam populi Judaeorum debemus accipere, quibus quasi jacentibus dicitur post ruinam: Surgite; et nihilominus appellantur filiae confidentes, sive sperantes: praecipiturque eis ut audiant sermones Domini, et recordentur dierum et anni, de quo in consequentibus dicturi sumus, ipso Salvatore dicente: Spiritus Domini super me, propter quod unxit me: evangelizare pauperibus misit me: praedicare captivis remissionem, et caecis visum: vocare annum Domini acceptabilem (Luc. IV, 18, 19), et ipsa recordatio fiat eis juxta Septuaginta in dolorem cum spe, ut plangant se Dominum denegasse, et spem habeant salutis, si egerint poenitentiam. Dicit enim vindemiam consummatam, et post ultimam vastitatem, quae sub Vespasiano et Tito Adrianoque accidit, nequaquam aliam captivitatem esse venturam, nec remansuros botros in populis, qui deinceps colligendi sunt. Unde provocantur ad planctum, et jubentur nudare pectora, et accingere lumbos suos, eo quod regio quondam desiderabilis, et vinea fertilis, de

qua scriptum est: Ego plantavi te vineam fructiferam, totam veram: quomodo conversa es in amaritudinem vitis alienae (Jer. II, 21)? Romano vastante, deleta sit. Super humum, inquit, populi mei, spinae et vepres, sive fenum ascendet. Et est sensus: Si terram Judaeam, quae repromissionis terra est, spinae repleverunt et vepres, quanto magis alias civitates quae plenae sunt gaudio, et quae illud evangelicum consequentur; Vae qui gaudetis nunc, quoniam plorabitis (Luc. VI 25)! Domus enim, id est, templum meum dimissum est, dicente me ad Apostolos: Surgite, abeamus hinc (Joan. XIV, 31); et ad incredulos: Relinquetur vobis domus vestra deserta (Luc. XV, 35). Adyta Templi, et secreta mysteria, palpabiles tenebrae possederunt, et facta sunt nequaquam cellaria vasorum Domini, sed speluncae usque in sempiternum. Audierant enim a Domino Salvatore (Matth. XXI. 13): Domus Patris mei, domus orationis vocabitur: vos autem fecistis eam speluncam latronum. Gaudium, inquit, onagrorum, pascua gregum. Quod vel juxta litteram intelligendum est, eo quod deserta sint omnia; vel spiritualiter, quod expulso Israele, feri homines et Dei notitiam non habentes, habitent in Judaea. Et hoc fiat donec effundatur super nos spiritus de excelso, quem Salvator ascendens ad Patrem, credentibus repromisit, dicens: Ecce ego vado, et mittam vobis Paracletum Spiritum veritatis (Joan. XVI). Et rursum: Donec accipiatis de excelso virtutem (Luc. XXIV, 49). Quodque supra dixerat: Adhuc modicum, et erit Libanus in Charmel, et Charmel in saltum reputabitur: et audient in die illa surdi verba libri, et de tenebris, et caligine oculi caecorum videbunt (Supra, XXIX); nunc aliis verbis idipsum repetit, quod solitudo gentium vertatur in divitias Israel; et Israel reputetur in gentes: quo tempore habitaverit in deserto judicium, Dominus atque Salvator, cui Pater dedit omne judicium (Joan. III). Et justitia in Charmel requiescet, de qua supra dictum est: Et erit in Charmel desertum, quod judicium atque justitia habitet in deserto, et requiescat in Charmel, qui prius appellabatur desertum. Opus quoque justitiae erit pax, quae, juxta

Apostolum, omnem sensum exsuperat (Philipp. IV). Et cultus justitiae silentium, ut non multiloquio Judaeorum, sed brevitate fidei adorent Dominum; et securi aeterna pace requiescant, et in tabernaculis eorum sint divitiae, de quibus Apostolus loquebatur (I Cor. I, 5): Gratias ago Deo meo per Jesum Christum, quoniam in omnibus divites facti estis in eo, in omni verbo, et in omni scientia. Cum autem populus christianus sederit, vel habitaverit in pulchritudine, sive ut LXX transtulerunt, in civitate pacis, haud dubium quin in Ecclesia; tunc grando atque tempestas, et Domini ira desaeviens descendent in saltum, de quo supra dictum est: Et Charmel in saltum reputabitur; et humiliabitur civitas Jerusalem, et juxta aliam Scripturam, de terra loquetur. Quae cum ita se habeant, et didicerimus vaticinio prophetali, quanta bona Ecclesia possessura sit, et quanta mala passura sit Jerusalem: beati estis, Apostoli, caeterique Doctores, qui seminatis super omnes aquas Scripturae sanctae, in quibus calcat bos et asinus. Bos mundum animal, propter electionem patrum, asinus immundus, propter idololatriam quondam gentilium, ut et de Circumcisione et de Praeputio Ecclesia Domini congregetur. Quod supra, juxta LXX, dicitur: Super terram populi mei spinae et fenum ascendet, referri potest, et ad haereticos, et ad simplices quosque credentium, qui non ita Scripturam intelligunt sanctam, ut illius convenit majestati. Unde singula singulis coaptavimus, ut terra populi Dei, haereticis spinas, imperitis quibusque Ecclesiae fenum afferat.

## (Cap. XXXIII.---Vers. 1.)

Vae qui praedaris: nonne et ipse praedaberis? Et qui spernis: nonne et ipse sperneris? Cum consummaveris depraedationem, depraedaberis: cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.

LXX: Vae qui vos miseros faciunt: vos enim nemo facit miseros. Et qui reprobant vos, vos non reprobant: capientur reprobantes, et tradentur, et quasi tinea in vestimento sic superabuntur. De Apostolis dixerat, et de ecclesiarum magistris: Beati qui seminant super omnem aquam, ubi bos et asinus calcant: nunc ad persecutores eorum maledictionem dirigit; immo adversum principem eorum, qui corda possidet impiorum, quod quidquid fecerint recipiant; et praesens potentia, futurorum sit materia tormentorum. Unde juxta LXX dicitur: Vae eis qui vos miseros faciunt: vos enim nemo facit miseros. Et est sensus: quantum in illis est, quando persequuntur vos, et variis affligunt cruciatibus, interfectos atque cruciatos miseros arbitrantur. Sed nullus vos potest facere miseros, non enim habent in anima potestatem, sed in corpore. Et qui reprobat vos, non vos reprobat, sed eum qui vos misit, juxta illud quod Salvator discipulis loquitur: Qui vos reprobat, me reprobat: et qui me reprobat, reprobat eum qui me misit (Luc. X, 16). Capientur igitur persecutores, et aeternis tradentur ardoribus. Et quomodo tinea vestimentum, ita illos jugis flamma consumet. Quod et in fine hujus prophetiae scribitur. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non exstinguetur.

## (Vers. 2 seqq.)

Domine, miserere nostri: te enim exspectavimus: esto brachium nostrum in mane, et salus nostra in tempore tribulationis. A voce Angeli fugerunt populi, ab exaltatione tua dispersae sunt gentes. Et congregabuntur spolia vestra, sicut colligitur bruchus, velut cum fossae plenae fuerint de eo. Magnificatus est Dominus, quoniam habitavit in excelso: implevit Sion judicio et justitia. Et erit fides in temporibus tuis: divitiae salutis sapientia et scientia: timor Domini ipse thesaurus ejus.

LXX: Domine, miserere nostri, in te enim confidimus: factum est semen incredulorum in perditionem, salus

autem nostra in tempore tribulationis: propter vocem timoris obstupuerunt populi a timore tuo, et dispersae sunt gentes. Nunc autem congregabuntur spolia vestra parvi et magni: quando si quis congreget locustas, sic illudent vobis: sanctus Deus qui habitat in excelsis. Repleta est Sion judicio et justitia, in lege tradentur, in thesauris salus nostra: venit sapientia, et disciplina. et pietas a Domino, isti sunt thesauri justitiae. Hebraei capitulum superius, in quo legitur: Vae qui praedaris: nonne et ipse praedaberis? et reliqua usque ad finem, contra Sennacherib regem Assyriorum dictum putant, quod postquam decem tribuum, quae appellabantur Israel, subverterit civitates; et excepta Jerusalem, Judaeae quoque urbes ceperit, ipse superetur, et percutiente Angelo, ejus deleatur exercitus. Unde nunc ex persona populi gratias referentis Deo, atque dicentis: Domine, miserere nostri, te exspectavimus, haec dicta contendunt, quae sequenti capitulo continentur, quod ipse brachium fuerit et robur populi obsidione vallati in tempore matutino, et salus in necessitate et angustia. A voce enim Angeli, quem Symmachus ita ut in Hebraeo scriptum est, transtulit AMUN, quem Hebraei Gabrielem autumant, et habere etymologiam populi; fugit Assyrius, et ab exaltatione Dei, gentes quae cum eo erant, huc illucque dispersae sunt. Quibus fugientibus, spolia congregata sunt a Judaeis, sicut solet bruchi et locustarum colligi multitudo, cum in fossas coacervatae fuerint. In quorum victoria magnificatus est Dominus: et Sion impleta judicio et justitia, et fides obsessi populi comprobata; omnesque divitias in sapientia habuerunt, et scientia Dei et timore Domini, qui solus eorum thesaurus fuit. Haec illi juxta historiam dixerint, omni ratione nitentes, Christi et Apostolorum ejus subvertere sacramenta. Nos autem post beatitudinem Apostolorum, de quibus supra (Ad. cap. XXXI, 20) dictum est: Beati qui seminant super omnem aquam, ubi bos et asinus calcant, et lamentationem et planctum eorum qui eos persecuti sunt, de quibus in consequentibus dicitur: Vae qui miseros

vos faciunt; vos autem nemo facit miseros: et sicut tinea in vestimento, sic atterentur, ex persona eorumdem Apostolorum, omniumque credentium haec dicta convincimus. Et est sensus: Domine, in tuo speravimus auxilio, et in te confidimus: semen incredulorum periit in aeternum, et salus nostra in tempore tribulationis apparuit. Te enim praebente auxilium, omnis gentium multitudo dispersa est, et praedae atque illusioni victoribus fuit. Et hoc factum est: quia sanctus Dominus habitat in excelsis, et repleta est Sion judicio et justitia, de qua supra scriptum est: Requiescet in deserto judicium et justitia. Ipsa est ergo Sion, quae prius est appellata desertum, et quicumque habitaverit in ea, tradetur ei lex Evangelii, in cujus thesauro salus nostra est, et sapientia credentium, et disciplina et pietas, sive fides, quae proprie Christianorum est, et timor Domini, in quo thesauri sapientiae continentur.

## (Vers. 7 seqq.)

Ecce videntes clamabunt foris: Angeli pacis amare flebunt. Dissipatae sunt viae, cessavit transiens per semitam, irritum factum est pactum, projecit civitates, non reputavit homines. Luxit et elanguit terra, confusus est Libanus et obsurduit, et factus est Saron sicut desertum, et concussa est Basan et Carmelus. Nunc consurgam, dicit Dominus: nunc exaltabor, nunc sublevabor. Concipietis ardorem, parietis stipulam, spiritus vester ut ignis devorabit vos. Et erunt populi quasi de incendio cinis: spinae congregatae igni comburentur.

Verbum Hebraicum ARELLAM, pro quo Aquila et Symmachus et Theodotio interpretati sunt, apparebo eis, extremam syllabam dividentes, et legentes ARE LAHEM, Hebraei significare Angelos arbitrantur, et esse prophetiam, post vocationem gentium, et divitias Ecclesiae, de subversione Templi, quod flebunt Angeli, nequaquam intus habitantes, sed exeuntes foras: et qui

prius nuntii pacis erant, flebunt amare. Sive ipsi Apostoli qui missi fuerant ut pacem nuntiarent Jerusalem, ad quam Dominus loquebatur: Si scires etiam tu ea quae ad pacem sunt tibi (Luc. XIX, 42): quibus apparuit Dominus, ut eos suo confortaret aspectu, flebunt Jerusalem, quia non receperit praedicationem suam, eo quod dissipatae sunt viae, et cessaverit transiens per semitam justam, juxta illud quod in Jeremiae Lamentationibus dicitur: Viae Sion lugent, eo quod non sint qui veniant ad solemnitatem (Thren. I, 4). Irritum quoque factum est pactum cum Abraham, Isaac, et Jacob: Projecit civitates Judaeae: non reputavit homines, qui suo vitio jumenta esse voluerunt. Luxit et elanguit terra pro his qui morabantur in terra (Genes. XV et 22). Confusus est Libanus et obsurduit, haud dubium quin Templum significet, de quo in Zacharia legimus. Aperi, Libane, portas tuas, ut devoret ignis cedros tuas (Zach. XI, 1). Sive Jerusalem, quae in Ezechiel Libanus appellatur, dicente Propheta: Aquila magna magnarum alarum, quae habet ductum intrandi in Libanum (Ezech. II, 3), quod postea interpretans sermo divinus, cum, inquit, venerit Nabuchodonosor in Jerusalem: perspicue Aquilam regem Babylonium, et Libanum Jerusalem edisserens. Factus est Saron sicut desertum, et concussa est Basan et Carmelus. Pro Basan, LXX Galilaeam transtulerunt, provinciam, pro uno loco provinciae. Saron autem omnis juxta Joppen Liddamque appellatur regio, in qua latissimi campi fertilesque tenduntur. Basan quoque regio trans Jordanem est, quam duae et dimidia tribus possederunt, et quae interpretatur uberrima et pinguis (Deut. III): et Carmelus, de quo supra diximus. Loca igitur Judaeae quondam fertilia vertentur in solitudinem, per quae --- ostenditur omnis opulentia Judaeorum egestate et penuria commutanda. Quia igitur Apostolorum sermonem recipere noluerunt, confusus est Libanus, et Saron versus est in solitudinem, et Basan Carmelusque concussi sunt. Propterea Dominus vel de nimia patientia, vel ab inferis resurrecturum esse se dicit, et exaltandum in gentibus, et sublevandum in cruce. Et ad

ipsos Judaeos apostropham facit, Concipietis ardorem, et parietis stipulam, et spiritus vester vobis conflabit incendium, ut conceptum et partum vorax flamma consumat. Et erunt, inquit, populi Judaeorum quas de incendio cinis, infelicitatis magnitudinem favillae reliquiis demonstrantes. Spinae enim eorum quae peccatorum multitudine congregatae sunt, incendio vorabuntur, quod plerique ad extremam captivitatem et subversionem referunt Jerusalem. Alii plenius atque perfectius judicii tempore futurum esse confirmant.

## (Vers. 13 seqq.)

Audite qui longe estis quae fecerim, et cognoscite vicini fortitudinem meam. Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in justitiis, et loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, et excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, et claudit oculos suos ne videat malum. Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus: panis ei datus est, aquae ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi ejus: cernent terram de longe. Cor tuum meditabitur timorem. Ubi est Scriba? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum? Populum imprudentem non videbis populum alti sermonis, ita ut non possis intelligere disertitudinem linguae ejus, in quo nulla est sapientia.

LXX: Audient qui longe sunt quae fecerunt: scient qui appropinquant fortitudinem meam. Recesserunt qui erant in Sion iniqui, apprehendet tremor impios. Quis annuntiabit vobis, quoniam ignis ardet? quis annuntiabit vobis locum aeternum? qui ambulat in justitia, et loquitur rectam viam, et odit impietatem et iniquitatem, et manus excutit a muneribus, et obturat aures, ut non audiat judicium sanguinis, et claudit oculos, ne videant

iniquitatem, iste habitabit in excelsa spelunca petrae fortissimae. Panis ei dabitur, et aqua ejus fidelis: regem cum gloria videbunt oculi vestri, videbunt terram de longe anima vestra meditabitur timorem. Ubi sunt grammatici? ubi consiliatores? ubi est qui numerat eos qui nutriunt et parvum et magnum populum? cui non dedit consilium: neque sciebat profundam vocem illius, ita ut non audiret populus contemptus, et non est audienti intelligentia. Quoniam dissipatae sunt viae, cessavit transiens per semitas, irritum factum est pactum cum populo Judaeorum, projecit Deus civitates eorum, non reputavit eos inter homines; propterea vos qui longe estis, audite quae fecerim, et appropinquate ut agnoscatis fortitudinem meam. Conterriti sunt, sive recesserunt qui erant in Sion peccatores vel impii et tremor possedit hypocritas, quibus Dominus in Evangelio loquebatur: Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae (Matth. XXIII, 14)! Quis poterit habitare de vobis cum eo qui ignis est devorans? quis habitabit cum ardoribus sempiternis? Sive juxta LXX: Quis vobis annuntiabit, quia ignis ardet aeternus, quem praeparavit Deus diabolo et angelis ejus? quis igitur poterit habitare cum Deo, vel annuntiare ventura supplicia? Omnis qui hujuscemodi est, qualem propheticus sermo describit, qui ambulat in pluribus justitiis, et non semel, sed semper justitias diligit, nec una vice, sed jugiter loquitur veritates: qui projicit avaritiam, quae est mater calumniae. Nisi enim cum alterius damno et malo, pecuniae alteri non coacervantur. Et excutit manus suas ab omni munere. Munera quippe excaecant oculos, etiam sapientium. Qui obturat aures suas ne audiat judicium sanguinis. Omnis iniquitas et oppressio et injustitia, judicium sanguinis est: et licet gladio non occidat, voluntate tamen interficit. Et claudit oculos suos ne videat malum. Felix conscientia, quae non audit, nec aspicit malum. Qui igitur talis est, ipse habitabit in excelsis, hoc est, in regno coelorum, sive in excelsa spelunca petrae fortissimae, in Christo Jesu: quae petra Israel populum sequebatur, ut biberet de ea, et illius

fortitudine protegeretur. Panis ei dabitur, et aquae ejus fideles sunt: quae gentilium fabulae in ambrosia et nectare intelligunt. Nos autem panes et aquas fidelissimas, legem Dei interpretabimur. Qui igitur talis est, regem Christum in sua claritate conspiciet, de quo supra (Ad cap. XXXII, 1) dicitur: Ecce rex justus regnabit, et principes in judicio praeerunt. Et oculi ejus videbunt terram de longe, quam multo tempore desideraverant, terram mitium et mansuetorum, de qua in Evangelio scriptum est: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram (Matth. V, 4): sive in coelo positi, terrena despicient. Cor tuum meditabitur timorem: ut cum omnia fueris consecutus, dicas cum Apostolo: Qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei (I Cor. XV, 9). Principium enim sapientiae timor Domini. Ubi est Scriba? ubi legis verba ponderans? ubi doctor parvulorum (Prov. IX, 1)? ubi sunt, inquit, Scribae et Pharisaei, qui Legis verba trutinantes, infelicem populum decipiebant? quos nunc parvulos Scriptura cognominat, parvulos sensu, parvulos intelligentia. Cum autem oculi credentis regem in sua majestate conspexerint, et cor ejus meditatum fuerit timorem, tunc imprudentem populum non videbit, populum Judaeorum, sive philosophorum et oratorum mundi, qui applaudunt sibi in eruditione et eloquentia saeculari, de quibus nunc ait: Populum alti sermonis: ita ut non possis intelligere disertitudinem linguae ejus; quorum omnis ornatus in verbis est, qui habent folia tantum umbramque sermonum, et fructum non possident veritatis. Denique sequitur: In quo nulla est sapientia, de quibus et alio loco dicitur: Perdam sapientiam sapientium, et intellectum prudentium reprobabo (I Cor. I, 19). Cur? quia stultam fecit Deus sapientiam hujus saeculi.

## (Vers. 20 seqq.)

Respice Sion civitatem solemnitatis nostrae: oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam: tabernaculum quod nequaquam transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus non rumpentur. Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster: locus fluviorum rivi latissimi et patentes, non transibit per eum navis remigum: neque triremis magna transgredietur eum. Dominus enim judex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster, ipse salvabit nos. Laxati sunt funiculi tui, et non praevalebunt: sic erit malus tuus, ut dilatare signum nequeas. Tunc dividentur spolia praedarum multarum: claudi diripient rapinam. Nec dicet vicinus. elangui: populus qui habitat in ea auferetur ab eo iniquitas.

LXX: Ecce Sion civitas. salutare nostrum: oculi tui videbunt Jerusalem. civitas dives, tabernacula quae non movebuntur: nec auferentur paxilli tabernaculi ejus in sempiternum, et funiculi ejus non diripientur: quia nomen magnum Domini vobis: locus vester erit flumina et rivi latissimi et spatiosi: non ingredietur per eam navis agitata remigio: Deus enim meus magnus est: non transibit me Dominus judex noster, Dominus princeps noster, Dominus rex noster, Dominus ipse salvabit nos. Disrupti sunt funiculi tui, quia non praevaluerunt: malus tuus inclinatus est, ut dimittat vela: non elevabit signum, donec tradatur in vastitatem. Multi igitur claudi praedas facient: et non dicent, laborabo, populus qui habitat in eis, dimittetur eis delictum. O juste, cui supra dictum est: cor tuum meditabitur timorem; et, populum imprudentem non videbis; et qui antea audieras, regem in decore suo videbunt oculi tui, contemplare Sion urbem solemnitatis nostrae, vide Ecclesiam Christi, in qua est vera solemnitas: oculi tui cernent visionem pacis, et divitias insperatas, quas oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, et tabernaculum quod nequaquam transferri poterit. Prius enim tabernaculum quod habuit populus Judaeorum, translatum est atque

sublatum. Nec movebuntur clavi ejus in sempiternum, et omnes funiculi ejus firmi erunt; ita ut Dominus habitet in eo, qui locus est omnium fluviorum, rivorumque currentium, per quos nullus adversae partis poterit navigare: neque triremis magna, quae interpretatur diabolus, eum transgredi poterit: quia Dominus ipse est judex, et princeps, et rex, et Salvator noster, et illo protegente, nullius metuemus insidias. Haec dicta sunt de Sion urbe solemnitatis nostrae, et de Jerusalem habitatione ditissima, quam ipse Dominus fluviis suis circumdabit atque vallabit. Nunc autem ad terrenam loquitur Jerusalem, quod laxati sint funiculi tabernaculi ejus, et tentorium sustinere non quiverint, et malus ejus, in quo pulcherrima quondam vela pendebant, ruptis funibus ceciderit, ut non solum ad navigationem, sed ad signum quoque mutilis sit. Postquam autem navis eorum fuerit dissoluta, et tabernaculum dissipatum, ita ut in utramque partem funiculi disrumpantur, praeda victoribus dividetur: qui tam imbecilli erunt propriis viribus, ut claudi appellentur; et nihilominus Dei ira tribuente eis fortitudinem, nullam infirmitatem sentient, nec dicent: laboravi. Qui enim fuerit inter eos, auferetur ab eo iniquitas atque peccatum, quia Dei exsecutus est voluntatem.

## (Cap. XXXIV.---Vers. 1, seqq.)

Accedite gentes, et audite, et populi attendite: audiat terra et plenitudo ejus, orbis et omne germen ejus. Quia indignatio Domini super omnes gentes, et furor super universam militiam eorum: interfecit eas, et dedit in occisionem. Occisi earum projicientur: et de cadaveribus earum ascendet fetor: tabescent montes sanguine earum. Et tabescet omnis militia coelorum: complicabuntur sicut liber coeli: et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu, quoniam inebriatus est in coelo gladius meus. Ecce super Idumaeam descendet, et super populum interfectionis meae ad judicium. Gladius Domini

repletus est sanguine, incrassatus adipe: de sanguine agnorum et hircorum, de sanguine medullatorum arietum; victima enim Domini in Bosra: et interfectio magna in terra Edom. Et descendent unicornes cum eis, et tauri cum potentibus. Inebriabitur terra sanguine eorum, et humus eorum adipe pinguium.

Post eversionem Jerusalem et naufragium quondam solidissimae navis, praedamque omnis supellectilis illius, de interitu omnium dicitur nationum, et de consummatione mundi, quae est in die futura judicii. Unde omnes gentes et populi terrae et plenitudo ejus, orbis et cuncta genimina ejus, tam quae habitantur loca, quam quae inhabitabilia sunt nimietate frigoris et caloris, jubentur audire, et quae ventura sunt cum omni mentis tremore cognoscere. Indignatio enim Domini nequaquam super unam gentem Judaeam, et Assyrios atque Chaldaeos, Aegyptios, Moabitas, et Ammonitas, et Philisthaeos: sed et contra omnes gentes, et super universam militiam, sive ut LXX transtulerunt, numerum earum. ventura describitur, quae interficiat eas, et fetorem corporum putrescentium in altum ascendere faciat: significans peccata omnium nationum: ita ut sanie earum et spurcitia, ac sanguine montes repleantur: sublimes quaequae virtutes et Angeli, qui singulis gentibus praesidebant; et tabescat omnis militia vel fortitudo coelorum: replicentur, sive complicentur coeli sicut liber, et omnis militia et exercitus eorum, atque ut LXX transtulerunt, et stellae defluant, in similitudinem foliorum, quae, appropinquante frigore, arentia atque contracta de vinea et ficu defluunt. Quod quidem et Salvator loquitur in Evangelio: Stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum movebuntur, et tunc apparebit signum Filii hominis in coelo (Matth. XXIV, 29, 30). Et hoc considerandum, quod non dicat interire coelos, sed replicari, sive complicari, quasi librum, ut postquam omnia peccata aperta fuerint et relecta, complicentur qui prius aperti fuerant, ut nequaquam ultra scribantur in eis

delicta multorum. De hujuscemodi libris Daniel in suo volumine loquitur: Judicium sedit, et libri aperti sunt (Dan. VII, 10), in quibus descripta erant opera singulorum. Stellas autem cadere plerique arbitrantur, juxta Apocalypsim Joannis (Apocal. VI et VIII). et illud quod alibi scriptum est: Stellae universae ardentes solventur, et coelum ac terra transibunt (Luc. X, 2). Praeterit enim figura hujus mundi. Quidam de his stellis dici putant. quae in coelo rutilant, ut in parte monstretur et totum, quod scilicet per stellarum ruinam etiam coelorum interitus ostendatur (II Cor. VII). Alii vero has stellas putant esse ruituras, de quibus et Paulus Apostolus scribit: Non est nobis certamen adversus sanguinem et carnem, sed adversus principatus, adversus potestates, adversus rectores tenebrarum istarum, adversus spiritualia nequitiae in coelestibus (Ephes. VI, 12). Nec mirum si daemones qui in aere habitant, dicantur esse coelestes, cum etiam volucres coeli, quae utique non in coelo, sed in aere volitant, Scriptura cognominet. Nam et Satanas transfiguratur in Angelum lucis (II Cor. XI), stellam se esse simulans. Et Salvator vidit eum quasi fulgur de coelo cadentem (Luc. X). Et tropologice de eo quasi de stella magna dicitur: Quomodo cecidit Lucifer qui mane oriebatur (Isa. XIV, 12)? Haec universa fient, quia inebriatus est in coelo gladius ejus, poena atque sententia, et ultio in peccatores, quae profertur a Domino. Qui gladius et machaera in Ezechiel (Ezech. XXI) contra impios exacuitur; ac plurimis interfectis, vaginam suam jubetur intrare. Cumque inebriatus fuerit et repletus in coelo; hoc est, in aere, qui consuetudine Scripturarum coelum dicitur, tunc ad Idumaeam quoque, id est, ad terrena descendet: ut post poenam daemonum, etiam hominum animae judicentur. Idumaea quippe in lingua nostra terrenam sonat. Repletusque est sanguine; et incrassatus adipe agnorum et hircorum, medullatorumque arietum atque taurorum: ut et principes et populum pariter significet puniendos. Victima enim Domini in Bosra, et interfectio magna in terra Edom. De qua Bosra

et Idumaea etiam in consequentibus (Ad LXIII, 1) idem Propheta testatur dicens: Quis est iste qui venit de Edom: rubra vestimenta ejus de Bosra? Et nonnulli existimant, quia Bosor, caro dicitur, per victimam Domini in Bosra, tormenta omnium in carne monstrari: qui pio labuntur errore. In praesenti enim loco non per SIN litteram. quae in BOSOR, hoc est, in carne, ponitur: sed per SADE scribitur, et BOSRA appellatur, quae juxta Jesum et Jeremiam non in Edom, id est, Idumaea; sed in terra Moab invenitur (Jerem. XLVIII). Bosra autem in lingua nostra munitam sonat atque circumdatam, sive firmatam: ut orbem terrarum Domini voluntate doceat esse solidatum, juxta illud quod in psalmo canitur; Ipse super maria fundavit eum, et super flumina collocavit illum (Ps. XXIII, 2); et de firmitate terrae ex persona Dei dicitur: Ego firmavi columnas ejus (Psal. LXXIV, 3). Cumque victima Domini fuerit in Bosra, et interfectio ejus in Idumaea, descendent unicornes cum tauris potentibus, reges videlicet et principes terrae; et omnia interfectionis, et sanguinis replebuntur, et adipe quondam divitum ac potentum. Per quae verba, juxta humanam consuetudinem, terrorem audientibus incutientia, in omnes principes ac potentes, populosque ac parvos tormenta monstrantur. Bosra, id est, munitam, atque firmatam, et Edom, sive Duma, et Idumaeam, Judaeorum magistri Romam intelligi volunt, et omnia de ipsa dici quae sequenti capitulo continentur.

## (Vers. 8 seqq.)

Quia dies ultionis Domini, annus retributionum judicii Sion. Et convertentur torrentes ejus in picem, et humus ejus in sulphur: et erit terra ejus in picem ardentem. Nocte et die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus: a generatione in generationem desolabitur, in saeculum saeculorum non erit transiens per eam. Et possidebunt illam onocrotalus, et hericius, et ibis, et corvus habitabunt in ea, et extendetur super eam

mensura: ut redigatur ad nihili, et perpendiculum in desolationem. Nobiles ejus non erunt ibi: regem potius invocabunt, et omnes principes ejus erunt in nihili. Et orientur in domo ejus spinae, et urticae, et paliurus in munitionibus ejus: et erit cubile draconum, et pascua struthionum. Et occurrent daemonia onocentauris, et pilosus clamabit alter ad alterum: ibi cubabit lamia, et inveniet sibi requiem. Ibi habuit foveam hericius, et nutrivit catulos, et circumfodit, et fovit in umbra ejus: illuc congregati sunt milvi, alter ad alterum. Requirite diligenter in libro Domini, et legite, unum ex eis non defuit, alter ad alterum non quaesivit: quia quod ex ore meo procedit, ille mandavit, et spiritus ejus, ipse congregavit ea. Et ipse misit eis sortem, et manus ejus divisit eam illis in mensura, usque in sempiternum possidebunt eam: in generatione et generationem habitabunt in ea. Hebraei, ut supra diximus, haec de Romano imperio prophetata contendunt, et in ultionem Sion, vastitatem quondam regni potentissimi praedicari, quod juxta litteram plerique nostrorum etiam in Apocalypsi Joannis scriptum putant. Nos autem ex eo quod dicitur, dies ultionis Domini annus retributionum judicii Sion hunc arbitramur annum, de quo loquitur ipse Salvator: Spiritus Domini super me, eo quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me, praedicare captivis remissionem, et caecis ut videant, vocare annum Domini acceptabilem, et diem retributionis Deo nostro: consolari omnes lugentes, et dare plangentibus Sion gloriam (Luc IV, 18, 19, Isai. LXI, 1-3): et de quo supra dictum est: Mulieres opulentae surgite (Isai. XXXII, 5): et dierum anni recordamini in dolore cum spe, ac per hoc post generalem totius orbis consummationem reverti Scripturam ad Jerusalem, cui illo tempore loquebatur, et vastitatem ejus pleno sermone describi: quod scilicet postquam tempus Romanae obsidionis advenerit, pice et sulphure et flammis ardentibus omnia compleantur, et fumus illius maneat in aeternum, habitentque ibi onocrotalus et hericius, et ibis, et corvus, quae animantia

in desertis locis habitare consueverunt: et hoc fiat, quia funiculus Domini atque perpendiculum, id est, sententia illius non valeat immutari. Nobiles ejus, id est, Apostoli atque credentes non erunt ibi, nec perditorum numero conjungentur: sed regem potius Christum invocabunt. Omnes autem principes illius, Scribae videlicet et Pharisaei, redigentur in nihili, et in domibus quondam ornatissimis spinae et urticae et paliurus orientur. Eritque cubile draconum, et pascua struthionum, quae et ipsa signa sunt extremae solitudinis. Et occurrent sibi in ea, juxta LXX diversa daemonum phantasmata, sive ut omnes alii juxta Hebraicum transtulerunt, SIIM et IIM, onocentauri, et pilosi, et lamia, quae Gentilium fabulae, et poetarum figmenta describunt. Hericium quoque ibi enutrire catulos, et stationem habere fidissimam: illuc congregari milvos, rapacissimam avem, quae Hebraice appellatur DAJOTH, sive ut LXX transtulerunt cervos, de quibus infra dicemus. Inter quae Propheta loquitur audientibus: O homines qui me auditis loquentem, quae ventura pronuntio, rebus omnia complebuntur. In libro enim scripta sunt Domini, et illius sententia definita, et ne unum quidem irritum erit. Nam quod de meo ore procedit, ille mandavit, id est, ego quidem loquor; sed verba sunt Domini, et spiritu illius quidquid dictum est perpetrabitur. Ipsius decreto atque mensura singula complebuntur: et usque in generationes sempiternas suum ordinem non relinquent. Haec juxta Hebraicum et explanationem historicam dicta sint. Caeterum qui tropologiam sequuntur, expulso populo Judaeorum sub bestiarum et portentorum nominibus, idololatras et variis superstitionibus servientes in Jerusalem habitaturos esse confirmant: et hos esse onocrotalos et hericios, ibin et corvum, dracones et struthiones, et onocentauros, et daemonia, et pilosos, et lamiam, quae Hebraice dicitur LILITH; et a solo Symmacho translata est lamia, quam quidam Hebraeorum ἐριννὴν, id est, furiam suspicantur. Et revera si consideremus de diversis gentibus adductas Jerusalem colonias, et juxta ritum provinciarum suarum,

singulas familias propriorum daemonum coluisse portenta, haec omnia in Jerusalem habitasse firmabimus. Quodque LXX transtulerunt: Ibi obviaverunt sibi cervi, et viderunt facies suas: numero transierunt, unus ex ipsis non periit, nec quaesivit alterum. Dominus enim praecepit eis, et spiritus ejus congregavit eos: et ipse dedit eis sortes, et manus illius dividet eis: ut pascantur in sempiternum, et possideant in generatione generationum, et requiescant in ea: sic allegorice interpretabimur, ut doceamus cervos, id est, Apostolos, et sanctos quosque doctores, de quibus scriptum est: sicut desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus (Ps. XLI, 1); et alibi: Vox Domini perficientis cervos (Ps. XXVIII, 9); et rursum: Cervus amicitiae et pullus gratiarum tuarum loquantur tibi (Prov. V); et in Job: Custodisti autem mentes cervorum, et partus eorum emittes (Job. XXXIX, 2); et in Cantico Canticorum dicitur: Similis est fratruelis meus capreae, vel hinnulo cervorum super montes aromatum (Cant. II, 9); obviasse sibi in Jerusalem et mutuos vidisse conspectus, et transisse ac reliquisse eam, et ad diversas provincias perrexisse, quia Dominus mandaverit eis: Ite et docete omnes gentes baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti (Matth. XXVIII, 19); et spiritus illius congregaverit eos, dederitque eis sortes atque diviserit, ut alius ad Indos, alius ad Hispanias, alius ad Illyricum, alius ad Graeciam pergeret: et unusquisque in Evangelii sui atque doctrinae provincia requiesceret. Quae nos super Jerusalem diximus prophetari, et Judaei de Romano dicta imperio suspicantur, nonnulli ad orbem referunt, ne a prioribus discrepare videantur.

## (Cap. XXXV.---Vers. 1, 2.)

Laetabitur deserta et invia, et exsultabit solitudo, et florebit quasi lilium. Germinans germinabit: et exsultabit laetabunda et laudans. Gloria Libani data est ei, decor

**Carmeli et Saron. Ipsi videbunt gloriam Domini: et decorem Dei nostri.**

**LXX: Laetare desertum sitiens, et exsultet solitudo, et floreat quasi lilium. Florebunt et exsultabunt deserta Jordanis: gloria Libani data est ei, et honor Carmeli: et populus meus videbit gloriam Domini, et altitudinem Dei nostri. Quoniam Jerusalem conversa est in picem et ascendit fumus illius sempiternus, et habitant in ea onocrotalus et hericius, ibis et corvus, dracones et struthiones, daemonia et onocentauri, lamia et pilosi: et Domini super eam impleta sententia est: Relinquetur vobis domus vestra deserta (Luc. XIII, 35): propterea quae prius deserta fuerat, de qua in psalmo dicitur: Vox Domini concutientis solitudinem, et commovebit Dominus desertum Cades. Vox Domini praeparantis cervos; et revelabit condensa silvarum (Psal. XXVIII, 8, 9), mutabitur in rerum omnium abundantiam, et pugnantibus cervis, de universis saltibus nationum bestiae, quae eas prius possederant, expellentur, ut impleatur illud quod in hoc eodem Propheta dicitur: Laetare sterilis, quae non paris: erumpe et clama, quae non parturis; quoniam plures sunt filii desertae, magis quam ejus quae habet virum (Isai. LIV. 1). Haec erat prius sitiens, sive invia, non habens vitales aquas, et Dominus non gradiebatur per eam, quae nunc florebit in lilium, sive ut significantius expressit Aquila, --- quam nos tumentem rosam et necdum foliis dilatatis possumus dicere. Florebit autem, ut cum Apostolo pronuntiet: Christi bonus odor sumus in omni loco (II Cor. II, 15). Et illud Cantici Canticorum: Flores visi sunt in terra: mandragorae dederunt odorem suum (Cant. VII, 12, 13). Quodque in LXX ponitur, et exsultabunt deserta Jordanis, in Hebraico quidem non habetur, sed possumus dicere Joannis: in Jordane fluvio poenitentiae baptismum demonstrari, quod Dominus suo lavacro signavit atque firmavit. Et quia de solitudine figuraliter dicitur, quae refertur ad gentes, in qua fuit Joannes, consequenter jungi potest Jordanis, ut per desertum**

gentium veniamus ad baptismum Salvatoris. Quodque sequitur, gloria Libani data est ei, et decor Carmeli et Saron, juxta priorem explanationem debemus accipere, in qua diximus Libanum Templum sive Jerusalem intelligi, dicente Zacharia: Aperi, Libane, portas tuas (Zach. XI, 1); et Ezechiel: Aquila magna magnarum alarum plena unguibus, quae habet ductum intrandi in Libanum et Carmelum (Ezech. XVII. 3): priorem significare populum, de quo supra dictum est: Et erit desertum in Carmel, et Carmel in saltum reputabitur (Isa. XXIII, 9); et Saron eamdem habere intelligentiam, Scriptura dicente: Factus est Saron sicut desertum. Omnis igitur candor, cultus Dei, et circumcisionis scientia, et loca uberrima atque campestria, quae appellantur Saron, pro quibus Symmachus interpretatus est campos, dabuntur desertae quondam Ecclesiae, et habitatores illius videbunt gloriam Domini, et decorem sive altitudinem Dei nostri.

## (Vers. 3, 4.)

Confortate manus dissolutas, et genua debilia roborate. Dicite pusillanimis, confortamini, et nolite timere, ecce Deus vester ultionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, et salvabit vos (sive ut LXX transtulerunt, nos). Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt (vel audient). Tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum, quia scissae sunt in deserto aquae, et torrentes in solitudine, et quae erat arida in stagnum (sive paludes,), et sitiens in fontes aquarum. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci (pro quo LXX transtulerunt: Erit ibi laetitia avium, et caulae gregum). Et erit ibi semita et via (sive via munda) et via sancta vocabitur, non transibit per eam pollutus. Et haec erit nobis directa via: ita ut stulti non errent per eam (vel ut LXX transtulerunt, neque erit ibi via immunda, qui autem dispersi sunt, transibunt per eam, et non errabunt. Non erit, inquit, ibi leo, et mala bestia non ascendet per eam, nec invenietur ibi, sed

ambulabunt per eam, qui liberati fuerint. Et redempti a Domino convertentur, et venient in Sion cum laude, et laetitia sempiterna super caput eorum. Gaudium et laetitiam obtinebunt: et fugiet dolor et gemitus. Utramque editionem miscuimus, ne in proponendis singulis, librorum magnitudo tendatur, quae jam modum brevitatis excedit. Apostolis, de quibus supra dictum est: Ipsi videbunt gloriam Domini et decorem Dei nostri, praecipitur, ut confortent manus in gentibus dissolutas, et genua debilia roborent; ut qui prius manibus dissolutis opus Dei facere non poterant, et aridam habebant dexteram, extendant eam ad bona opera. Et qui dudum inter idola diversis erroribus claudicabant, firmo super veritatem incedant gradu: et pusillanimes sive formidolosos fide Domini confirmantes, faciant non timere, uniusque Dei metus universi erroris expellat timores. Causa autem est securitatis atque constantiae, quia venturus est Christus, cui Pater dedit omne judicium: et reddet unicuique secundum opera sua (Joan. V). Ipse veniet et salvabit vos, quibus dicitur, nolite timere: sive nos, ut salutem cum credentibus Apostoli dicant sibi esse communem. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus, claudus: et aperta erit lingua mutorum. Quod quamquam signorum magnitudine completum sit, quando Dominus loquebatur discipulis Joannis, qui ad eum missi fuerant: Euntes renuntiate Joanni quae audistis et vidistis: caeci vident: claudi ambulant: leprosi mundantur: surdi audiunt: mortui resurgunt: pauperes evangelizantur (Luc. VII, 22); tamen quotidie expletur in gentibus, quando qui prius caeci erant, et in ligna et lapides impingebant, veritatis lumen aspiciunt. Et qui Scripturarum verba surdis auribus audire non poterant, nunc ad Dei praecepta laetantur; quando qui prius claudi erant, et rectam viam non tenebant, saliunt sicut cervi, imitantes doctores suos, et aperta erit lingua mutorum, quorum Satanas ora concluserat, ne possent unum Dominum confiteri. Idcirco autem aperientur oculi, aures audient, salient claudi, et aperta

erit lingua mutorum, quia scissae sunt, sive eruperunt in deserto quondam Ecclesiae aquae baptismi salutaris, et torrentes ac rivi in solitudine, diversae scilicet gratiae spirituales: et quae erat arida, in stagnum paludesque conversa est, ut non solum careret ardore sitis sed navigabilis esset et irrigua, et haberet fontes plurimos, quos cervus desiderat, quos qui biberit, potest benedicere Domino, juxta illud quod scriptum est: Benedicite Domino de fontibus Israel (Ps. LXVII, 27). In cubilibus animarum gentilium, in quibus prius dracones habitabant, erunt calamus et juncus, quibus scribatur fides Domini, et in quibus fessa prius membra requiescant; sive erit laetitia avium, et caulae gregum: ut assumant alas columbae, et humilia relinquentes, ad excelsa festinent, possintque cum Psalmista dicere, Dominus pascit me, et nihil mihi deerit: in loco pascuae ibi me collocavit: super aquas refectionis educavit me. Ibi erit semita, et via mundissima, quae sancta vocabitur, et quae dicit ipsa de se: Ego sum via (Joann. XIV, 6), per quam qui pollutus est, transire non poterit. Unde et in psalmo dicitur, Beati immaculati in via (Ps. CXIII, 1). Et haec via erit nobis, id est, Deus noster, tam recta et plana atque campestris, ut nullum habeat errorem: et stulti atque vecordes per eam ingredi valeant, quibus in Proverbiis loquitur Sapientia: Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est, venite et comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam, et vivite, et ambulate per vias prudentiae (Prov. V, 4-6). Stulta enim mundi elegit Deus (I Cor. I): quorum stultorum princeps loquitur in psalmo, Deus tu scis insipientiam meam. Et stultum Dei sapientius est hominibus (Ps. LXVIII, 6). Unde LXX transtulerunt: Et qui dispersi fuerant (I Cor. II), et a societate Domini separati, nequaquam errabunt. Sequitur, Non erit ibi leo: adversarius noster diabolus, qui circuit rugiens, quomodo ovile Domini possit intrare (I Petr. V). Et malae bestiae, satellites ejus, non ascendent per eam. Neque enim vestigium colubri in petra inveniri potest. Ambulabunt

autem per eam qui liberati fuerint de vinculis peccatorum, et redempti sanguine Salvatoris, et egerint poenitentiam; et venerint in Sion, de qua saepius diximus: Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis Jerusalem coelestem (Hebr. XII, 22); ne more Judaico auream quaeramus Sion, et gemmatam Jerusalem, quae juxta prophetiam Danielis, in aeternos cineres dissoluta est (Daniel. IX). Eritque laetitia sempiterna laudantium Dominum super caput eorum, ut postquam saeculum vicerint, possint cum Apostolo et Propheta dicere: Cursum consummavi, fidem servavi, de caetero reposita est mihi corona justitiae (II Tim. IV, 7, 8): et, Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos (Ps. V, 13). Tunc succedente gaudio atque laetitia, fugiet dolor et gemitus, quando venerit ex Sion qui eruat. Quae omnia nos juxta apostolum Paulum in primo Salvatoris interpretamur adventu: Judaei autem et nostri Judaizantes, ad secundum referunt, unius occasione versiculi, Convertentur et venient in Sion cum laude, hostiarum sanguinem, cunctarumque gentium servitutem, et uxorum pulchritudinem desiderantes.

## LIBER UNDECIMUS.

Difficile, immo impossibile est placere omnibus: nec tanta vultuum, quanta sententiarum diversitas est. In explanatione duodecim prophetarum longior quibusdam visus sum, quam oportuit; et ob hanc causam in Commentariolis Danielis brevitati studui, praeter ultimam et penultimam visionem, in quibus me necesse fuit ob obscuritatis magnitudinem sermonem tendere: praecipueque in expositione septem et sexaginta duarum et unius hebdomadarum, in quibus disserendis quid Africanus temporum scriptor, quid Origenes, et Caesariensis Eusebius, Clemens quoque Alexandrinae Ecclesiae presbyter, et Apollinaris Laodicenus. Hippolytusque, et Hebraei, et Tertullianus senserint, breviter comprehendi: lectoris arbitrio derelinquens quid

de pluribus eligeret. Itaque quod nos verecundia fecimus judicandi, et eorum honore qui lecturi erant, quibusdam forte non placeat, qui non Antiquorum opiniones, sed nostram sententiam scire desiderant. Quibus facilis responsio est, noluisse me sic unum recipere, ut viderer alios condemnare. Et certe si tanti et tam eruditi viri fastidiosis lectoribus displicent, quid de me facturi erant, qui pro tenuitate ingenioli invidorum morsibus pateo? Sin autem supradictos viros, magistros Ecclesiae nominavi, illud intelligant, me non omnium probare fidem, qui certe inter se contrarii sunt; sed ad distinctionem Josephi, Porphyriique dixisse, qui de hac quaestione plurima disputarunt. Quod si in expositione statuae pedumque ejus, et digitorum discrepantia, ferrum et testam super Romano regno interpretatus sum, quod primum forte, dein imbecillum Scriptura portendit, non mihi imputent, sed Prophetae. Neque enim sic adulandum est principibus, ut sanctarum Scripturarum veritas negligatur, nec generalis disputatio unius personae injuria est. Quae cum benigno meorum studio caveretur, Dei judicio repente sublata est: ut amicorum in me studia, et aemulorum insidiae monstrarentur. Sed haec alias: nunc quod coepimus exequamur. Undecimus in Isaiam liber, o virgo Christi Eustochium, quia magnam partem historiae disserturus est, facilior erit in principiis, et usque ad duas sui partes, reliqua simili more dictanda sunt: et sic studendum brevitati, ut nullum damnum fiat intelligentiae.

## (Cap. XXXVI.---Vers. 1 seqq.)

Et factum est in quarto decimo anno regis Ezechiae, ascendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes civitates Juda munitas et cepit eas. Et misit rex Assyriorum Robsacen de Lachis in Jerusalem ad regem. Ezechiam in manu gravi, et stetit in aquaeductu piscinae superioris, in via agri fullonis. Et egressus est ad eum Eliacim filius Helciae, qui erat super domum: et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph a commentariis, et dixit ad

eos Rabsaces: Dicite Ezechiae: Haec dicit rex magnus, rex Assyriorum: Quae est ista fiducia qua confidis? aut quo consilio et fortitudine rebellare disponis? super quem habes fiduciam, quia recessisti a me? Ecce confidis super baculum arundineum confractum istum, super Aegyptum: cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum ejus, et perforabit eam: sic est Pharao rex Aegypti omnibus qui confidunt in eo. Quod si responderis mihi, in Domino Deo nostro confidimus, nonne ipse est cujus abstulit Ezechias excelsa et altaria; et dixit Judae et Jerusalem: Coram altari isto adorabitis? Et nunc trade te Domino meo regi Assyriorum, et dabo tibi duo millia equorum, nec poteris ex te praebere ascensores eorum. Et quomodo sustinebis faciem judicis unius loci ex servis Domini mei minoribus? quod si confidis in Aegypto: et in quadrigis, et in equitibus: et nunc numquid sine Domino ascendi ad terram istam, ut disperderem eam? Dominus dixit ad me: Ascende super terram istam, et disperde eam. Historia manifesta est, et interpretatione non indiget: pleniusque in Regum et Dierum voluminibus haec eadem scripta referuntur, quod anno tertio Osee filii Hela regis Israel, regnaverit Ezechias filius Achaz regis Juda. Viginti quinque, inquit, annorum erat cum regnare coepisset, et viginti et novem annis regnavit in Jerusalem, et fecit quod erat bonum coram Domino, juxta omnia quae fecerat David pater ejus. Et post paululum: In Domino Deo Israel speravit, et post eum non fuit similis illi, de cunctis regibus Juda, sed neque in his qui ante eum fuerunt: adhaesit Domino, et non recessit a vestigiis ejus: fecitque mandata ejus quae praeceperat Dominus Moysi: unde et erat Dominus cum eo, et in cunctis ad quae procedebat, sapienter se agebat (IV Reg. XVIII, 2, 7). Rebellavit autem contra regem Assyriorum, et non servivit ei: in cujus sexto anno imperii, Salmanasar rex Assyriorum cepit Samariam, et decem tribus quae appellabantur Israel; et transtulit eas in Assyrios, collocavitque in Hala et Habor fluviis Gozan, in civitatibus Medorum (IV Reg. XVII, et XVIII). Post annos autem septem, id est, quarto decimo anno

Ezechiae, rex Assyriorum Sennacherib ingressus Judaeam, obsedit civitates ejus munitas, volens eas capere. Cumque obsideret Lachis, misit ad eum Ezechias nuntios, dicens: Peccavi, recede a me, et omne quod imposueris mihi, feram. Cumque trecenta talenta argenti, et triginta auri ad regis imperium persolvisset, fractis januis Templi Domini, et laminis ejus detractis, quas ipse affixerat, misit rex Assyriorum Thartan et Rabsacen de Lachis ad regem Ezechiam cum manu valida Jerusalem: qui cum ascendissent, venerunt in Jerusalem, et steterunt contra aquaeductum piscinae superioris, quae est in via agri fullonis, vocaveruntque ad se regem. Egressus est autem ad eos Eliacim filius Helciae praepositus domus, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph, a commentariis; dixitque ad eos Rabsaces: Loquimini Ezechiae: Haec dixit rex magnus, rex Assyriorum, et caetera quae in historia continentur. In quo arrogantia consideranda Rabsacis, quod velut quaedam contraria fortitudo, imitatur consuetudinem Prophetarum, ut quod illi solent in prologis ponere: Haec dicit Dominus, quo auctoritatem et magnitudinem loquentis ostendat, iste nunc dixerit: Haec dicit rex magnus, rex Assyriorum. Egressus est autem ad eum Eliacim filius Helciae qui erat praepositus domus, et Sobna scriba, et Joahe filius Asaph, a commentariis. Iste est Eliacim filius Helciae, de quo in Visione vallis Sion supra (Ad cap. XXII, 20, 21) legimus: Vocabo servum meum Eliacim filium Helciae, et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu ejus, et erit quasi pater habitantium in Jerusalem, et domui Juda, et caetera. Haec autem dicuntur ad Sobnam, qui ante eum praepositus Templi fuit, de quo in eadem scriptum est visione: Vade et ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam praepositum Templi (Ibid., 15), quem tradunt Hebraei Rabsacis comminatione perterritum tradidisse manus Assyriis, et inferiorem partem Jerusalem adversariis prodidisse, exceptaque arce Sion et Templo, nihil aliud remansisse quod non tenuerit Assyrius. Unde errant qui

Sobnam, qui nunc cum Eliacim, et Joahe ad Rabsacen egreditur, eumdem putant quem et supra. Ibi enim Sobna praepositus Templi ponitur, qui ab Assyriis dicitur esse capiendus: hic autem Sobna scriba, hoc est, --- qui Hebraice appellatur SOPHER, et est superiori ὁμώνυμος. Rabsacen autem, qui Hebraea lingua locutus sit, filium Isaiae Prophetae Judaei autumant, qui et ipse proditor fuerit: relictumque filium Isaiae alterum, appellari Jasub, qui in lingua nostra relictum sonet. Porro alii arbitrantur eum fuisse Samariten, et idcirco Hebraicum scisse sermonem, et tam audacter et impie Dominum blasphemare. Consideremus ergo verba Rabsacis; ac primum quod dicit: Confidis super baculum arundineum confractum istum, super Aegyptum, falsum est: nulla enim narrat historia quod Ezechias ad Aegyptios miserit, et Pharaonis auxilium postularit. Quodque infert: Si responderis mihi, in Domino Deo nostro confidimus, verum est. Sed rursum jungit mendacium veritati, quod abstulerit Ezechias excelsa illius et altaria. Hoc enim non contra Deum, sed pro Deo fecerat; ut idololatria et veteri errore destructo, juberet Deum adorari in Jerusalem, ubi erat Templum ejus: quamquam legamus pessima consuetudine, in montibus collibusque exstructo jam altari, populum Deo victimas immolasse. Quodque paucitatem obsessorum volens ostendere, equorum duo millia pollicetur, quorum Ezechias ascensores praebere non possit, non de imbecillitate venit populi Judaeorum qui equitandi carebat scientia: sed observatione mandatorum Dei, qui per Moysen super rege praeceperat Israel: Non multiplicabit sibi equos: et uxores plurimas non habebit (Deut. XVII, 16, 17). Sin autem me, inquit, servum Sennacherib, qui sum minimus famulorum ejus, non vales sustinere, quomodo tantam regis potentiam sustinebis? Ad id autem quod dixerat: Si responderis mihi in Domino Deo confidimus, callide prudenterque respondit, se non sua voluntate, sed Domini venisse praeceptis. Dominus dixit ad me: Ascende super terram istam, et disperde eam. Et est argumentum: certe sine

Domini voluntate huc venire non poteram. Cum autem venerim et multas ceperim civitates, et pars Jerusalem maneat intacta, manifestum est me ejus voluntate venisse. Legi in cujusdam Commentario eumdem esse Sennacherib qui et Samariam ceperit, quod omnino falsum est. Sacra enim narrat Historia primum Phul regem Assyriorum, sub Manahen rege Israel, vastasse decem tribus. Secundum Theglathphalasar sub Phacee filio Romeliae Israel venisse Samariam. Tertium Salmanasar sub Osee rege Israel totam cepisse Samariam (IV Reg. XV, XVII). Quartum fuisse Sargon, qui expugnavit Azotum (Isa. XX). Quintum Asaraddon qui translato Israel, Samaritanos in terram Judaeam custodes miserit (IV Reg. XVII). Sextum Sennacherib qui sub Ezechia rege Judae, capta Lachis et caeteris Judaeae urbibus, obsederit Jerusalem (IV Reg. XVIII). Alii autem unum atque eumdem multis putant nominibus appellari.

## (Vers. 11 seqq.)

Et dixit Eliacim et Sobna et Joahe ad Rabsacen: Loquere ad servos tuos Syra lingua, intelligimus enim: ne loquaris ad nos Judaice in auribus populi qui est super murum. Et dixit ad eos Rabsaces: Numquid ad Dominum tuum, et ad te misit me Dominus meus, ut loquerer omnia verba ista, et non potius ad viros qui sedent in muro: ut comedant stercora sua, et bibant urinam pedum suorum vobiscum? Et stetit Rabsaces, et clamavit voce magna Judaice, et dixit: Audite verba regis magni, regis Assyriorum. Haec dicit rex: Non seducat vos Ezechias, quia non poterit vos eruere, et non vobis tribuat fiduciam Ezechias super Domino, dicens: Eruens liberabit nos Dominus, non dabitur civitas ista in manu regis Assyriorum. Nolite audire Ezechiam. Haec enim dicit rex Assyriorum. Accusatio Rabsacis, Ezechiae testimonium est: quod captis cunctis Judaeae urbibus confisus in Domino sit, dixeritque ad populum: Nolite timere, nec paveatis regem Assyriorum, et universam multitudinem

quae est cum eo: multo enim plures nobiscum sunt quam cum illo. Cum illo est brachium carneum; nobiscum est Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatque pro nobis. Et confortatus est, inquit, populus hujuscemodi verbis Ezechiae regis Judae. Unde Rabsaces destruere vult, quod ille construxerat; et loquitur ad populum, Non seducat vos Ezechias: et non vobis tribuat fiduciam super Domino Deo. Quod autem Eliacim et Sobna, et Joahe humiliter deprecantur: Loquere ad servos tuos Syra lingua, intelligimus enim; et non loquaris ad nos Judaice in auribus populi qui est super murum, hunc sensum habet: Quid necesse est populum falsis terroribus commoveri, et vanam jactare virtutem? loquere linguam quam populus non intelligit. Si quidem nos habemus linguae tuae scientiam: novimusque sermonem Syrum, qui utrisque communis est. Ad quod Rabsaces arroganter: Num, ait, ad Dominum tuum, et ad te misit me Dominus meus, et non potius ad viros qui sedent in muro? Rursumque augens comminatione terrorem, ut comedant, inquit, stercora sua, et bibant urinam pedum suorum vobiscum? per quae ostendit fame eos et penuria, sitique esse capiendos. Simulque illecebram jungit formidini: ut quos terrore non vicerat, repromissionibus et persuasione decipiat, dicens ex sermone regis Assyriorum.

## (Vers. 16-18.)

Facite mecum benedictionem, et egredimini ad me, et comedite unusquisque vineam suam, et unusquisque ficum suam, et bibite unusquisque aquam cisternae suae: donec veniam, et tollam vos ad terram, quae est similis terrae vestrae: terram frumenti et vini, terram panum et vinearum. Ne conturbet vos Ezechias, dicens: Dominus liberabit nos. Numquid liberaverunt dii gentium unusquisque terram suam de manu regis Assyriorum? Pro quo in Regum volumine legitur: Facite mecum quod est utile, et egredimini ad me (IV Reg. XVIII, 31). Ergo sensus idem est. Facite, inquit, quod vobis prosit, et in

benedictionem vestram proficiat. Sive hoc dicit: Benedicite regi Assyrio, et laudate eum, et Dominum confitemini, ut praemia consequamini, et donec revertar de Aegypto, sive capta Lobna, redeam, habitate in urbe vestra; et rebus vestris fruimini. Postea autem veniam, et transferam vos in terram quae similis est terrae vestrae, frumenti, vini et olearum. Nec dicit nomen regionis, quia aequalem terrae repromissionis invenire non poterat: sed similitudinem pollicetur. Hoc enim unusquisque desiderat, in quo natus est. Quidam putant terram eis Mediae repromitti, quae habebat terrae Judaeae similitudinem, tam in situ quam in frugibus. Quodque infert.

## (Vers. 19 seqq.)

Ubi est Deus Hemath et Arphad? ubi est Deus Sepharvaim? Numquid liberaverunt Samariam de manu mea? Quis est ex omnibus diis terrarum istarum, qui eruerit terram suam de manu mea, ut eruat Dominus Jerusalem de manu mea? Et siluerunt, et non responderunt ei verbum. Mandaverat enim eis rex dicens: Ne respondeatis ei. Hoc ostendit quod omnibus his diis Samaria servierit, et idcirco capta sit. Sin autem, ait, tantis diis praesidentibus, decem tribus facile superavimus, quanto magis vos, immo solam Jerusalem, uno Deo praesule, vincemus facilius? Tacuitque omnis populus, et non respondit ei quidquam. Siquidem praeceptum regis acceperant, ut non responderent ei. Vere justus Ezechias, agens cuncta fideliter universaque consilio. Ideo autem jusserat blasphemanti Assyrio non responderi, ne eum ad majores blasphemias provocaret. Unde scriptum est: Ne succendas carbones peccatoris (Eccl. VIII, 13); et in psalmo legimus: Cum consisteret adversum me peccator, obmutui, et humiliatus sum, et tacui de bonis (Ps. XXXVIII, 23); et iterum: Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium munitum labiis meis: ne declines cor meum in verba malitiae (Ps. CXL, 3).

## (Cap. XXXVII. Vers. 1 seqq.)

Et ingressus est Eliacim filius Helciae, qui erat super domum, et Sobnas scriba et Joahe filius Asaph a commentariis ad Ezechiam scissis vestibus, et nuntiarunt ei verba Rabsacis. Et factum est cum audisset rex Ezechias, scidit vestimenta sua, et obvolutus est sacco, et intravit in domum Dei. Et misit Eliacim qui erat super domum, et Sobnam scribam: et seniores de sacerdotibus opertos saccis ad Isaiam filium Amos prophetae, et dixerunt ad eum: Haec dicit Ezechias: Dies tribulationis et correptionis, et blasphemiae dies haec, quia venerunt filii usque ad partum, et virtus non est pariendi. Si quomodo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis, quem misit rex Assyriorum dominus suus ad blasphemandum Deum viventem, et exprobrandum sermonibus, quos audivit Dominus Deus tuus. Leva ergo orationem pro reliquiis quae repertae sunt. Et venerunt servi regis Ezechiae ad Isaiam: et dixit ad eos Isaias: Haec dicetis domino vestro: Haec dicit Dominus: Ne timeas a facie verborum quae audisti quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me. Ecce ego dabo eis spiritum, et audiet nuntium, et revertetur ad terram suam, et corruere eum faciam gladio in terra sua.

Perspicua relinquentes, ea tantum in quibus latens sensus est, disseramus. Scindunt vestes, quia Rabsacen audierant blasphemantem. Scindit et ipse rex vestimenta sua, quia peccatorum suorum, et populi esse credebat, quod Rabsaces usque ad portam Jerusalem venerit, et contra Dominum talia sit locutus. Unde pontifex quia Salvatorem blasphemasse credebat, scidit vestimenta sua (Matth. XXVI): et Paulus ac Barnabas, deferentibus sibi Dei cultum Lycaonibus, sciderunt vestimenta sua (Act. XIV). Pro regio ergo cultu obvolutus est sacco; et de palatio ad Templum gradiens, Eliacim pontificem, et Sobnam scribam, et seniores de sacerdotibus misit ad Isaiam filium Amos prophetae. In quo regis consideranda

humilitas atque prudentia. Ipse pergit ad Templum; principes populi et seniores Sacerdotum, non stolis sacerdotalibus, sed ciliciis opertos misit ad Isaiam filium Amos prophetae. Pro quo in Regum volumine legitur: Ipse coopertus est socco, et ingressus domum Domini, Eliacim praepositum domus, et Sobnam scribam, et senes de sacerdotibus misit coopertos saccis ad Isaiam prophetam filium Amos (IV Reg. XIX, 1, 2). Hic quia ipse de se Isaias scribebat historiam, non se appellavit Prophetam, sed filium Prophetae: ibi vero quia alter erat Scriptor historiae, ipsum scribit Prophetam. Quod quidem et de Matthaeo Evangelista legimus, quod ipse Matthaeus se dixerit publicanum (Matth. IX): alii vero Evangelistae nomen publicani tacuerint, et Apostolicam tantum posuerint dignitatem; et quod in conjunctionibus Apostolorum, apud se secundus, apud alios primus sit. Dixeruntque, inquit, ad eum: Haec dicit Ezechias, non rex, non tumens nomine imperii: Dies tribulationis, et corruptionis, et blasphemiae dies haec: tribulationis nostrae, correptionis Dei, blasphemiae hostium. Ponitque similitudinem parturientis mulieris et dolentis, quod ad partum usque pervenerit, et generare non possit, nec dicere: A timore tuo, Domine, concepimus, et doluimus, et peperimus spiritum salutis. Sequitur: Si quomodo audiat Dominus Deus tuus verba Rabsacis (Isai. XXVI, 18, sec. LXX). Non enim audemus Dominum omnium, nostrum Dominum dicere, quo irascente tanta perpetimur; sed tuum dicimus Dominum. Et hanc habemus ultionis fiduciam: quoniam vivens Deus blasphematur a cultore idolorum mortuorum. Et exprobraverunt sermonibus, quos audivit Dominus Deus tuus: Leva ergo orationem, nostram jacentem: non pro cuncto populo qui jam periit, sed pro reliquiis, quae obsidentur, cumque venissent servi regis Ezechiae ad Isaiam: rursum nomen Prophetae tacuit, ut coeptam servaret humilitatem. Praevenitque eos Isaias: eodem enim spiritu quo futura noscebat, etiam absentem regem audierat: et dicit quid respondere deberent Domino suo, humiliati in ista fiducia conscientiae. Dicite,

inquit, Domino vestro, qui vester est Dominus; meus enim haec dicit Dominus: Noli timere verba quibus non tu, sed ego sum blasphematus. Nec dico universa quae regi Assyriorum sim facturus, ne meam videar jactare potentiam; sed quod dandus sit ei spiritus non Dei, sed adversarius. Auditoque nuntio, revertatur ad terram suam, et corruat in ea gladio, ut duo pariter quae optabat Ezechias, audiret, se obsidione et periculo liberandum, et inimicum iratumque regem in sua terra esse moriturum. Si quis quaerat cur in libro Prophetiae, historia quae in Regum et Dierum voluminibus scripta est, mixta videatur, consideret quod historiae prophetia sit copulata, tam de liberatione urbis, quam de Assyrii interitu, et de reversione solis horarum decem, et quindecim annorum spatiis protelatis, quod et prophetiae est et historiae.

## (Vers. 8 seqq.)

Reversus autem Rabsaces, invenit regem Assyriorum praeliantem adversum Lobnam: audierat enim quia profectus esset de Lachis. Et audivit de Taracha rege Aethiopiae dicentes: Egressus est, ut pugnet contra te. Quod cum audisset, misit nuntios ad Ezechiam dicens: Haec dicetis Ezechiae regi Judae loquentes: Non te decipiat Deus tuus, in quo tu confidis dicens: Non dabitur Jerusalem in manum regis Assyriorum. Ecce tu audisti omnia quae fecerunt reges Assyriorum omnibus terris quas subverterunt, et tu poteris liberari? Numquid eruerunt eos dii gentium, quos subverterunt patres mei Gozan et Haram, et Reseph, et filios Edem, qui erant in Thalassar? Ubi est rex Hemath, et rex Arphad, et rex urbis Sapharvaim Ana et Ava? Eisdem verbis eademque sententia scriptum est in Regum et Dierum volumine, quod Rabsaces juxta Domini voluntatem, obsidionem deseruerit Jerusalem, et perrexerit ad dominum suum, quem, vel deserta, vel capta Lachis, ad oppugnandam Lobnam ire cognoverat. Ipse quoque Sennacherib audiens Taracham regem Aethiopum inferre sibi bellum, occurrit

venienti, et nihilominus mittit nuntios ad Ezechiam, et Epistolas, ut quos necdum viribus ceperat, sermone terreret. Et quomodo populo dixerat: Non te decipiat Ezechias (IV Reg. XVIII, 29): eadem blasphemia loquitur ad regem: Non te decipiat Deus tuus (IV Reg. XIX, 10). Ponitque exempla majorum, quod quomodo caeteras terras non potuerint liberare dii sui de manibus eorum: sic nec Jerusalem liberetur. In enumeratione autem gentium caeterarum ponit ANA et AVA, quas LXX miscuerunt dicentes, anavegava, conjunctionemque, et, id est, vau inter duas gentes Ana et Ava, lingua posuere Hebraea, ut ignorantibus una gens videatur aut civitas. Manifesta transcurrimus, ut in dubiis immoremur. Pugnasse autem Sennacherib regem Assyriorum contra Aegyptios, et obsedisse Pelusium: jamque exstructis aggeribus urbi capiendae, venisse Taracham regem Aethiopum in auxilium, et una nocte juxta Jerusalem centum octoginta quinque millia exercitus Assyrii pestilentia corruisse, narrat Herodotus, et plenissime Berosus, Chaldaicae scriptor historiae, quorum fides de propriis libris petenda est.

## (Vers. 14 seqq.)

Et tulit Ezechias libros de manu nuntiorum, et legit eos: et ascendit in domum Domini, et expandit eos coram Domino, et oravit ad Dominum dicens: Domine, exercituum Deus Israel, qui sedes super Cherubim, tu es Deus solus omnium regnorum terrae: tu enim fecisti coelum et terram. Inclina, Domine, aurem tuam et audi: aperi, Domine, oculos tuos, et vide, et audi omnia verba Sennacherib quae misit ad blasphemandum Deum viventem. Vere enim, Domine, desertas fecerunt reges Assyriorum terras et regiones earum: et dederunt deos earum igni: non enim erant dii, sed opera manuum hominum. lignum et lapides; et comminuerunt eos. Et nunc Domine Deus noster, salva nos de manu ejus: et cognoscant omnia regna terrae, quia tu es Deus solus.

Contra Sennacherib regis blasphemias solita Ezechias arma corripuit. Rursumque pergit ad Templum, et Epistolas ejus expandit coram Domino. Prius tacuerat, non enim audebat Domini timore perterritus in Templo ora reserare, nec liberas ad Deum preces fundere. Nunc autem quia jam audierat Isaiam dicentem: Ne timeas a facie verborum quae audisti, quibus blasphemaverunt pueri regis Assyriorum me, et caetera: audacter Dominum deprecatur, et solum Deum asserit esse viventem: quae idola intelligimus imagines mortuorum. Quodque infert: Vere enim, Domine, desertas fecerunt reges Assyriorum terras, et regiones earum: et dederunt deos earum igni: non enim erant dii, sed opera manuum hominum, lignum et lapides: et comminuerunt eos, multis probatur historiis, quae scribunt reges Persarum venisse in Graeciam, et subvertisse atque spoliasse templa Graecorum: ultionemque postulat, ut per occasionem sui omnia regna cognoscant quod solus sit Deus, qui possit suos de discrimine liberare.

## (Vers. 21 seqq.)

Misit autem Isaias filius Amos ad Ezechiam dicens: Haec dicit Dominus Deus Israel: pro quibus rogasti me de Sennacherib rege Assyriorum, hoc est verbum quod locutus est Dominus super eum: Despexit te et subsannavit te virgo filia Sion: post te caput movit filia Jerusalem. Cui exprobrasti, et quem blasphemasti, et super quem exaltasti vocem tuam, et levasti altitudinem oculorum tuorum, ad Sanctum Israel? In manu servorum tuorum exprobrasti Domino et dixisti: In multitudine quadrigarum mearum ego ascendam altitudinem montium, juga Libani, et succidam excelsa cedrorum ejus, et electas abietes illius, et introibo altitudinem summitatis ejus saltum Carmeli ejus. Ego fodi, et bibi aquam: et exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum. Quia tam audacter Ezechias Dominum deprecatus est, nec misit ad Isaiam, ut prius miserat, non

ipse Propheta pergit ad eum, sed mittit nuntios qui ei dicerent verbis Dei: Super Sennacherib contra quem rogas, Domini ista sententia est: Virgo Sion, et filia Jerusalem (quae ideo virgo appellatur et filia, quia cunctis gentibus simulacra adorantibus hominum mortuorum, haec sola conservet castitatem religionis Dei, et unius divinitatis cultum) subsannavit te atque despexit; et quae ne ad majorem te blasphemiam concitaret, praesenti non responderat, post abeuntem movit caput suum, certa de ultione, secura de poena. Et haec locuta est: Non contra me, sed contra Dominum superbisti: nec ipse per te, sed per servos tuos, ut major esset arrogantia blasphemantis. Dixisti enim quod in quadrigarum tuarum multitudine ascenderes altitudinem montium, et juga Libani, et excelsas succideres cedros atque abietes illius. Quod vel de cunctis gentibus --- principibusque earum debemus accipere, vel de Jerusalem, quae interpretatur Libanus, ut cedros ejus atque abietes ad potentes quosque et optimates: altitudinem vero summitatis illius saltumque Carmeli referamus ad Templum. Ipse enim supra dixerat: Numquid non audisti quae fecerunt reges Assyriorum omnibus terris, quas subverterunt? ergo nec tu poteris liberari. Quodque infert: Ego fodi et bibi aquam, et exsiccavi vestigio pedis mei omnes rivos aggerum, juxta historiam hoc intelligi potest, quod prae multitudine exercitus, omnia fluenta exsiccaverit, ut puteos sibi fodere sit compulsus. Juxta translationem: quod omnes populos, qui interdum sub aquarum nomina describuntur, suo vastaverit exercitu. Pro quo soli Septuaginta transtulerunt, et posui pontem [Al. potentem, vel potestatem], et desertas feci aquas, et omnem congregationem aquarum: quod scilicet nulla sibi gens invia fuerit, sed super omnes populorum aquas suo calcaverit pede.

## (Vers. 26 seqq.)

Numquid non audisti quae olim fecerim ei? ex diebus antiquis ego plasmavi illud, et nunc adduxi eos, et factum est in eradicationem collium compugnantium, et civitatum munitarum. Habitatores earum breviata manu, contremuerunt, et confusi sunt: facti sunt sicut fenum agri, et gramen pascuae, et herba tectorum quae exaruit antequam maturesceret. Habitationem tuam, et egressum tuum, et introitum tuum cognovi, et insaniam tuam contra me, cum fureres adversum me. Superbia tua ascendit in aures meas, ponam ergo circulum in naribus tuis, et frenum in labiis tuis: et reducam te in viam per quam venisti.

Haec ex persona Dei contra verba Assyrii sentienda sunt, quod ad blasphemiam ejus sic responderit Dominus: Num ignoras quod haec quae fecisti, mea feceris voluntate, et ego haec futura praedixerim, ac per te facienda mandaverim? Itaque quod olim decrevi, hoc expletum est tempore, ut colles, id est principes qui inter se ante pugnabant, et civitates munitissimae, me contrahente manum meam, nec solitum praebente auxilium, eradicarentur et contremiscerent, ac perirent: et compararentur, non olivae et vineae, fructuosisque arboribus, sed feno et gramini, herbisque domatum, quae frugibus impedimento sunt et ante marcescunt, quam ad maturitatem perveniant. Itaque et sessionem, et egressum, et introitum tuum ante cognovi, et insaniam qua contra me debacchaturus eras, Prophetis vaticinantibus, sum locutus (Sap. ad cap. XIII, 4): per quos olim dicturum esse te noveram: In coelum ascendam: super sidera coeli ponam thronum meum, eroque similis Altissimo. Itaque furor tuus, et superbia tua pervenit in aures meas, et nequaquam ultra te portabo, ut intelligas quod potuisti non tuis potuisse te viribus, sed meo arbitrio. Merebantur enim impiae gentes, et infructuosae arbores, ut per te, quasi securim et serram meam, succiderentur et caderent. Itaque ponam circulum, sive chamum in naribus tuis, ut blasphemantia ora

constringam, et nequaquam ultra talia loqui audeas: frenumque injiciam labiis tuis, quod tuam ferociam domet, et te reducat in Assyrios. Qua translatione et in Psalmis contra impios Scriptura utitur: In freno et chamo maxillas eorum constringe, qui non appropinquant tibi (Ps. XXXI, 12).

## (Vers. 30 seqq.)

Tibi autem hoc erit signum: Comede hoc anno quae sponte nascuntur, et in anno secundo pomis vescere: in anno autem tertio seminate, et metite, et plantate vineas, et comedite fructum earum. Et mittet id quod salvatum fuerit de domo Juda, et quod reliquum est, radicem deorsum, et faciet fructum sursum, quia de Jerusalem exibunt reliquiae, et salvatio de monte Sion. Zelus Domini exercituum faciet istud.

Omnia haec Propheta per nuntios ad Ezechiam loquitur, quid Sennacherib dixerit, quid ei Dominus responderit: nunc ad ipsum sermonem facit, ne forsitan dubitet ventura quae dicta sunt. Et idcirco vel maxime Prophetae apud populum sermonum suorum habebant fidem: quia non solum de his quae multa post saecula futura erant, sed etiam quae in continenti, et post non grande temporis spatium essent implenda, memorabant: et quod intra biennium, et rex Assyrius interiret, et urbi Jerusalem securitas redderetur. Hoc erit, inquit, signum eorum quae futura praenuntio, quod hoc anno ea comedas, quae sponte nascuntur. Sive juxta LXX quae prius severas. Anno autem secundo, juxta Symmachum, pomis vescere: sive juxta eosdem, quae de praeteritis segetibus, et cadente in terram semine, pullulaverint. In anno autem tertio, fugato jam Assyrio et obsidione laxata, seminate, et metite, et plantate vineas, et fructus earum comedite. Siquidem parvae urbis hujus reliquiae, quae nunc hostili vallantur exercitu, et evasuras se esse non credunt, tantam recipient rerum omnium

abundantiam ac felicitatem, ut instar arboris alta radice fundatae pomis densissimis impleantur. De Jerusalem enim, et de monte Sion egredientur reliquiae, et implebunt terram Judaeam, non suo merito, sed Dei misericordia, immo zelo quod adversus impios zelatus est populum suum.

## (Vers. 33, 34.)

Propterea haec dicit Dominus de rege Assyriorum. Non introibit civitatem hanc, et non jaciet ibi sagittam, nec occupabit eam clypeus, et non mittet in circuitu ejus aggerem. In via qua veniet, per eam revertetur, et urbem hanc non ingredietur, dicit Dominus: protegamque civitatem istam, et salvabo eam propter me, et propter David servum meum. Revertitur ad propositum, et post futurorum spem praesentem excutit metum.

Non enim erat tanta laetitia super his quae longo post tempore ventura promiserat, quanta cura de imminentibus. Quod autem dicit Assyrium recessurum, nec levaturum contra Jerusalem clypeum, nec jacula missurum, neque urbem munitionibus et aggere esse vallandam, adversariumque per viam qua venerat reversurum, et liberandam civitatem obsidione praesenti, et ad extremum infert: propter me et propter David servum meum, illud significat, quod non merito suo, sed De clementia conserventur, immo patris eorum David memoria. In quo admonentur et suae negligentiae, et illius fidei atque justitiae, quod in tantum justitiam diligat Deus, ut etiam posteros sanctorum hominum, non suo merito, sed majorum virtute tueatur.

## (Vers. 36 seqq.)

Egressus est autem Angelus Dei, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque millia: et surrexerunt mane, et ecce omnia cadavera mortuorum. Et

egressus est et abiit, et reversus est Sennacherib rex Assyriorum, et habitavit in Ninive. Et factum est cum adoraret in templo Nesrach Deum suum, Adramelech et Sarasar, filii ejus, percusserunt eum gladio: fugeruntque in terram Ararat; et regnavit Asaraddon filius ejus pro eo.

Centum octoginta quinque millia fortissimorum virorum ab uno Angelo, una nocte caeduntur, et absque vulneribus occisorum mors saeva discurrit, excludens a corporibus animas, Dei voluntate. Super quo in Paralipomenis legitur: Et misit Dominus Angelum, qui percussit omnem virum robustum, et bellatorem, et principem exercitus regis Assyriorum: reversusque est cum ignominia in terram suam (II Paral. XXXII, 24). Qui idcirco servatus est, ut sciret potentiam Dei, et blasphemantia ora comprimeret: fieretque testis illius majestatis, quem paulo ante contempserat. Quod autem intulit: Et surrexerunt mane, vel Israelitas, vel reliquos exercitus ejus accipiamus: licet in Regum scriptum sit volumine, quod cum ipse rex diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum (III Reg. XIX). Pharao quoque in decem Aegypti servatur plagis, ut novissimus pereat: quod et iste passus est. Cum enim reversus esset in Niniven urbem primam regni sui, et adoraret in templo Nesrach Deum suum, quasi victoriam de hostibus reportaret, et delubrum idoli sui triumphans et gratulabundus incederet, contemptor veri Dei in fano falsi numinis trucidatur: nec Angeli perit gladio, quod erat commune cum pluribus, sed parricidio filiorum. Qui cum fugissent in terram Ararat, quod intelligitur Armenia, successit in patris locum Asaraddon, quem Scriptura testatur misisse habitatores Samariam; ne terra maneret inculta. Ararat autem regio in Armenia campestris est, per quam Araxes fluit, incredibilis ubertatis, ad radices Tauri montis, qui usque illuc extenditur. Ergo et Arca in qua liberatus est Noe cum liberis suis, cessante Diluvio, non ad montes generaliter Armeniae delata est, quae

appellatur Ararat, sed ad montes Tauri altissimos, qui Ararat imminent campis.

## (Cap. XXXVIII.---Vers. 1 seqq.)

In diebus illis aegrotavit Ezechias usque ad mortem: et intravit ad eum Isaias filius Amos Propheta, et dixit ei: Haec dicit Dominus: Dispone domui tuae, quia morieris tu et non vives. Et convertit Ezechias faciem suam ad parietem, et oravit ad Dominum, et dixit: Obsecro, Domine, memento, quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim: flevitque Ezechias fletu magno.

Quem diligit Dominus, corripit, et castigat omnem filium quem recipit (Prov. III). Ne elevaretur cor Ezechiae post incredibiles triumphos, et de media captivitate victoriam, infirmitate corporis sui visitatur, et audit se esse moriturum, ut conversus ad Dominum flectat sententiam ejus. Quod quidem et in Jona propheta legimus, et in comminationibus contra David quae dicuntur futura, nec facta sunt, non Deo mutante sententiam, sed provocante humanum genus ad notitiam sui. Dominus enim poenitens est super malitiis. Convertitque Ezechias faciem suam ad parietem, quia ad Templum ire non poterat. Ad parietem autem Templi, juxta quod Salomon palatium exstruxerat. Vel absolute ad parietem, ne lacrymas suas assidentibus ostentare videretur. Aut certe juxta Jeremiam, ad cor suum; qui CIR, id est parietem, cor appellat, ut tota mente Dominum deprecaretur. Et ait: Obsecro, Domine, memento, quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod bonum est in oculis tuis fecerim. Audiensque se esse moriturum, non precatur vitam et annos plurimos, sed in Dei judicio quid velit praestare, dimittit. Noverat enim idcirco Deo placuisse Salomonem, quod annos vitae non petierit ampliores; sed iturus ad Dominum, narrat opera sua, quomodo ambulaverit coram

eo in veritate et in corde perfecto. Felix conscientia, quae afflictionis tempore bonorum operum recordatur: Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt (Matth V, 8). Et quando alibi scribitur: Quis gloriabitur purum habere se cor (Prov. XX, 9)? Quod ita solvitur: perfectionem cordis in eo nunc dici, quod idola destruxerit, templi Baal vasa perverterit, serpentem aeneum comminuerit, et caetera fecerit quae Scriptura commemorat. Flevit autem fletu magno, propter promissionem Domini ad David, quam videbat in sua morte perituram. Eo enim tempore Ezechias filios non habebat; nam post mortem ejus Manasses, cum duodecim esset annorum, regnare coepit in Judaea. Ex quo perspicuum est, post tertium annum concessae vitae Manassen esse generatum. Ergo iste omnis est fletus, quod desperabat Christum de suo semine nasciturum. Alii asserunt, quamvis sanctos viros morte terreri, propter incertum judicii, et ignorationem sententiae Dei, quam sedem habituri sint. Simulque fati quaestio solvitur, ac necessitatis vincula atque causarum, quod nequaquam dies mortis singulis praestituta sit, sed voluntate Dei et ignotis mortalibus causis, vel vivat aliquis, vel moriatur: praesertim cum et statuta nunc mortis necessitas differatur, et post mortem resuscitatos plurimos legerimus.

## (Vers. 4 seqq.)

Et factum est verbum Domini ad Isaiam dicens: Vade et dic Ezechiae: Haec dicit Dominus Deus David patris tui: Audivi orationem tuam vidi lacrymas tuas. Ecce ego adjiciam super dies tuos quindecim annos, et de manu regis Assyriorum eruam te et civitatem istam, et protegam eam. Hoc autem tibi erit signum a Domino: quia faciet Dominus verbum hoc quod locutus est: Ecce ego reverti faciam umbram linearum per quas descenderat in horologio Achaz in sole retrorsum decem lineis: et

reversus est sol decem lineis per gradus quos descenderat.

Praepostero ordine quasi in prophetia hic refertur historia, quae in Regum volumine consequentius legitur. Flente Ezechia fletu magno, priusquam egrederetur Isaias mediam partem atrii, factus est sermo Domini ad eum, dicens: Revertere, et dic Ezechiae duci populi mei: Audivi orationem tuam, et vidi lacrymam tuam: Ecce sanavi te. Dixitque Ezechias ad Isaiam: Quod erit signum, quia Dominus me sanabit (IV Reg. XX, 4 et 5)? Cui Propheta respondit: Hoc erit signum a Domino quod facturus sit Dominus sermonem quem locutus est: Vis ut accedat umbra tot lineis, an ut revertatur totidem gradibus? Cui dixit Ezechias: Facile est umbram crescere decem lineis, nec hoc volo ut fiat; sed ut revertatur retrorsum decem gradibus. Cumque invocante Isaia potentiam Domini, signum esset effectum, praecepit Isaias afferri massam ficorum recentium: quam cum attulissent, et posuissent super vulnus ejus, curatus est. Revertitur autem ad regem Propheta Domini jussione, ut ipse sanaret qui percusserat; et vocatur Ezechias dux populi ejus, et filius David, cujus opera sectabatur, fecerat enim rectum juxta omnia quae fecit David pater ejus: et auditur ejus oratio, videnturque lacrymae, quoniam ambulaverat coram Domino in veritate et in corde perfecto, et fleverat fletu magno; et quod placitum erat in oculis ejus fecerat. Adjiciuntur quindecim anni ad vitam, quos ille non postulaverat, et insuper vivente eo, regni securitas repromittitur. Sin autem, ut quidam putant, in corpore vivere condemnatio est, et juxta illud quod dicitur: Revertere, anima mea, in requiem tuam (Ps. CXIV, 7). Et in alio loco: Educ de carcere animam meam (Ps. CXLI, 8), optanda est mors ut de carcere liberemur: quomodo nunc Dominus donat pro beneficio, ut qui liberandus erat, adhuc quindecim annis vivat in carcere? Datur autem signum, ut sol decem gradibus revertatur, quos nos juxta Symmachum in lineas et horologium vertimus, qui gradus

intellexit in lineis, ut manifestiorem sensum legentibus faceret. Sive ita exstructi erant gradus arte mechanica, ut per singulos umbra descendens, horarum spatia terminaret. Quod signum et praesentis temporis et futuri typus erat; ut quomodo sol reverteretur ad exordium sui; ita et Ezechiae vita ad detextos annos rediret; nobisque in hebdomade et ogdoade viventibus, per resurrectionem Christi, vitae spatia protelentur. Solent sanctorum Locorum in hac provincia monstratores intra conseptum Templi ostendere gradus domus Ezechiae, vel Achaz, quod sol per eos descenderit. Sed numquam ego credam, non dico Achaz, qui rex impius fuit; sed cujuslibet regis justi domum fuisse in Templo Dei: cum Salomon idcirco Deum inter caetera offendisse dicatur, quod in sublime aedificaverit Mello, unde atrium Templi, deambulans in turre palatii, despicere solitus sit (III Reg. IX).

## (Vers. 9.)

Scriptura Ezechiae regis Judae cum aegrotasset et convaluisset de infirmitate sua.

LXX. Oratio Ezechiae regis Judae quando languit, et surrexit de infirmitate sua. Miror quomodo soli Septuaginta pro scriptura, orationem posuerint, cum oratio THEPHELLATH dicatur, et non MACHTHAR quae in praesenti loco scribitur; alioquin consequenter diceretur oratio, si de praesenti esset tempore, et non de praeterito. Manifestum est enim, quod post redditam sanitatem, de infirmitate consurgens ista conscripserit, ex quo non oratio est, sed gratiarum actio pro beneficio quod acceperat.

## (Vers. 10 seqq.)

Ego dixi in dimidio dierum meorum, vadam ad portas inferi: quaesivi residuum annorum meorum. Dixi, non videbo Dominum Deum in terra viventium: non aspiciam

hominem ultra et habitatorem quietis. Cessavit generatio mea: ablata est et convoluta est a me quasi tabernaculum pastorum. Praecisa est velut a texente vita mea: dum adhuc ordirer succidit me: de mane usque ad vesperum finies me. Sperabam usque mane: quasi leo sic contrivit omnia ossa mea. De mane usque ad vesperum finies me.

LXX Ego dixi in excelso dierum meorum, vadam ad portas inferi: relinquam annos residuos: dixi, nequaquam ultra videbo salutare Dei in terra viventium, nec videbo hominem adhuc cum habitantibus: defici a cognatione mea. Exivit et recessit a me, sicut tabernaculum solvit qui fixerat: sicut tela spiritus meus recessit, cum a texente succiditur. In illa die traditus sum usque mane: sicut leo, sic contrivit omnia ossa mea. A die usque ad noctem traditus sum. Narrat quid tempore prementis angustiae imminentisque languoris, tacitus cogitarit; Dixi, inquit, in corde meo, in dimidio dierum meorum, sive ut Aquila et Symmachus et Theodotio interpretati sunt, in infirmitate et silentio dierum meorum, pro quo LXX excelsum interpretati sunt, ob litterae similitudinem, RAME pro DAME legentes: licet quidam DAME, sanguinem verterint, ut sit sensus, In sanguine dierum meorum, quando meus cruor, meusque exspectabatur interitus. Itaque desperatione dixi: Vadam ad portas inferi, vel communi lege naturae, vel illas portas, de quibus quod liberatus sit, Psalmista decantat, Qui exaltas me de portis mortis, ut annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiae Sion (Ps. IX, 15). Has portas inferni reor, quae adversum Petrum non praevalent (Matth. XVI), quia dormivit in plenitudine dierum suorum. Sancti implent dies suos, qualis fuit Abraham, qui mortuus est plenus dierum in senectute bona (Gen. XXV). Peccatores vero et impii in dimidio dierum suorum moriuntur, de quibus et Psalmista loquitur: Viri sanguinum et dolosi non dimidiabunt dies suos (Ps. LIV, 25). Non enim implent opera virtutum, nec student poenitentia emendare delicta. Unde in medio

vitae cursu, et in errorum tenebris ducentur ad tartarum. Quaesivi, inquit, residuum annorum meorum, non me putans ultra esse victurum. Dixi, non videbo Dominum Dominum in terra viventium. Pro Domino et Domino, bis in Hebraeo ponitur IA, quod in extrema syllaba ALLELUIA sonat, pro quo LXX transtulerunt Nequaquam ultra videbo salutare Dei in terra viventium. De qua in alio loco scriptum est: Placebo Domino in regione viventium (Ps. CXIV 9). Et rursum: Placebo Domino in lumine viventium (Ps. LV, 9). Regio ergo Sanctorum ipsa est, quae appellatur lux viventium. Non est enim Deus mortuorum, sed vivorum (Matth. XXII). Hoc autem est omne quod metuit, ne salutare Dei, ductus ad inferos, nequaquam mereatur aspicere. Sequitur: Non aspiciam hominem ultra et habitatorem quietis. Quod nos olim propter verbi ambiguitatem sequenti versiculo junxeramus; sermo enim Hebraicus HOLED, si legatur, aut scribatur ELED, requiem: si EDEL, Occidentem sonat. Timet ergo ne cum sanctis et hominibus Dei non habitet in quiete, ne non videat Dominum in terra viventium, ne generatio illius instar tabernaculi dissolvatur, ne in telae similitudinem in ipso lucis exordio praecidatur, et nequaquam de semine ejus Christus oriatur. Quod autem corpus nostrum appelletur tabernaculum, et Apostolus instruit dicens: Nos qui sumus in hoc tabernaculo, ingemiscimus aggravati (II Cor. V, 4). De mane, ait, usque ad vesperum finies me: sperabam usque mane: quod et Job in angustia sua atque in tormentis corporis sustinuisse se dicit (Job. IV), quando in die exspectabat noctem, et lucem praestolabatur in tenebris, mutatione temporum putans mutari posse supplicia. Hoc verum esse novit qui magnis febribus aestuat, cujus ignis internus in similitudinem leonis omnia ossa consumit, nec se putat prae doloris magnitudine ultra esse victurum.

## (Vers. 15.)

Sicut pullus hirundinis, sic clamabo: meditabor ut columba: attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelsum. Domine, vim patior; responde pro me: quid dicam aut quid respondebit mihi cum ipse fecerit? LXX: Quasi hirundo sic clamabo: quasi columba sic meditabor. Defecerunt enim oculi mei aspiciendo in excelsum coeli ad Dominum: qui eruit me, abstulit dolorem animae meae, et ipse fecit. Mors imminens, et languoris incumbens dolor, quasi leo ita omnia corporis mei ossa frangebat; sed ego in similitudinem hirundinis et columbae, fletibus et gemitibus dies noctesque jungebam; et a Deo solo qui poterat subvenire, elevatis in altum oculis, auxilium praestolabar. Dicebamque ad eum: plus patior quam mea poscunt merita; sed et si quid erravi, convertar ad melius; tu responde pro me: Non est enim volentis neque currentis, sed miserentis Dei (Rom. IX, 16). Rursumque in se revertitur: Quid dicam, quidve causabor contra te factorem meum? aut quid mihi respondebit qui fecit ipse quod voluit? Sustinenda ergo sunt quaecumque decreverit. Pro pullo hirundinis, sive hirundine, ut LXX transtulerunt, in Hebraico scriptum est, SUS AGOR, quod interpretatus est Aquila, equus Agor: Theodotio, SIS AGUR; media enim vocalis littera vau, si ponatur inter duas Samec, legitur sus, et appellatur equus; si jod, legitur sis, et hirundo dicitur. Symmachus autem ita transtulit: Sicut hirundo inclusa, sic cantabo. Quod verbum agor et in Jeremia legitur, ubi scriptum est: Milvus in coelo cognovit tempus suum: turtur et hirundo, et ciconia custodierunt tempora sua (Jerem. VIII, 7).

## (Vers. 16 seqq.)

Reputabo omnes annos meos in amaritudine animae meae. Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis me. Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Tu autem eruisti animam meam, ut non periret: projecisti post tergum tuum omnia peccata mea. Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit

te: non exspectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam. Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie. Pater filiis notam faciet veritatem tuam. Domine, salvum me fac, et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitae nostrae in domo Domini.

LXX. Domine, de ipsa annuntiatum est tibi: et suscitasti spiritum meum, et consolatus vivificasti. Ecce in pace amaritudo mea: liberasti enim animam meam, ut non periret, et projecisti post me omnia peccata mea. Neque enim in inferno laudabunt te, neque mortui benedicent tibi. Neque sperabunt qui apud inferos sunt misericordiam tuam: viventes benedicent tibi, sicut et ego. Ab hodie enim filios faciam, qui annuntiabunt justitiam tuam, Domine salutis meae, et non requiescam, benedicens tibi cum Psalterio, omnibus diebus vitae meae in conspectu domus Dei. Nulla res longa mortalium est, omnisque felicitas saeculi dum tenetur, amittitur. Cum enim tribulationis tempus advenerit, omne quod praeteritum est nihil adjuvat sustinentem. Unde stulta Epicuri sententia est, qui asserit recordatione praeteritorum bonorum, mala praesentia mitigari. Ergo Ezechias reputare se dicit omnes annos regni sui, et praeteritae, ut putabat, beatitudinis in praesenti amaritudine. Et quia jam securus est, nec patitur quae refert, de humano statu philosophatur, et dicit: Domine, si sic vivitur: et tali sumus conditione generati, corripuisti me, sed vivificasti me, pacemque tribuisti, fugato Assyrio; sed pax mea omni mihi amaritudine fuit amarior, quia tranquillitate populis reddita, et urbe secura, ego solus limina mortis intravi. Sed tu eruisti animam meam, ut non periret, vel praesenti vitae vel futurae. Projecisti enim post tergum omnia peccata mea, ne illa tristis aspicerem, sed tuam misericordiam contemplarer. Infernus enim et mors non confitebuntur, neque laudabunt te, juxta illud quod scriptum est: In inferno autem quis confitebitur tibi (Psal. VI, 6)? Confessioque in hoc loco, non pro poenitentia, sed pro gloria et laude accipitur, sicut et in

Evangelio legimus, Confitebor tibi, Domine, Pater coeli et terrae (Mat. XI, 25). Non exspectabunt, inquit, qui descendunt in lacum, veritatem tuam: melius quam in LXX misericordiam. Qui enim in inferno est, non exspectat judicii veritatem, sed misericordiam Dei: maxime cum Salvator ad inferna descenderit, ut vinctos de inferis liberaret. Pro lacu manifestius iidem inferos transtulerunt. Vivens, vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie. Et hic confessio pro laudatione ponitur. Neque enim sua scelera confitetur; sed gratias agit Deo: et non est pulchra laudatio in ore peccatoris (Eccli. XV). Cumque infernus et mors non confiteantur nec laudent Deum, e contrario vita atque viventes Dominum glorificant. Quodque sequitur: Pater filiis notam faciet veritatem tuam, hoc significat, quod in Deuteronomio dicitur: Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; seniores tuos, et dicent tibi (Deut. XXXII, 7), ut per successiones et singulas generationes Dei in posteros clementia praedicetur. Pro quo LXX posuerunt: Ab hodie enim filios faciam, qui annuntiabunt justitiam tuam. Causalisque conjunctio sequentia cum superioribus copulat: quod videlicet idcirco viventes et ipse vivens benedicant Deo, quia ab hac die facturus sit filios, qui annuntient veritatem ejus, quod certe suae non erat potestatis. Neque enim per Prophetam illi liberi repromissi sunt: sed praesens vita concessa. Praesertim cum impiissimum filium genuerit Manassen, qui repleverit Jerusalem sanguine, a porta usque ad portam, et non benedixit, sed maledixit Deo persequens sanctos ejus. Possumus ergo juxta LXX hoc dicere, quod non dixerit, filios faciam: sed -- - quos vel parvulos, vel pueros, sive infantulos et posteros intelligimus, ut ex eo quod ipse misericordiam consecutus est, omnis ventura posteritas hoc cognoscens, laudet ejus incredibilem clementiam. Salvum ergo me fac, Domine; et omnes qui in te credimus, tuoque sumus auxilio liberati, cunctis diebus vitae nostrae te canemus in Templo.

## (Vers. 21, 22.)

Et jussit Isaias ut sumerent massam de ficis, et cataplasmarent super vulnus, et sanaretur. Et dixit Ezechias, quod erit signum, quia ascendam in domum Domini. Hoc prius legendum est quam oratio Ezechiae, sive Scriptura, quam nunc interpretati sumus: ante enim cataplasma vulneri impositum est, et prius signum ab eo petitum futurae sanitatis, quam gratias ageret Domino, quod dicitur fecisse sanatus. Aiunt Hebraei verbum SIIN, quod praetermisere LXX, ulcus sonare, non vulnus. Nam et Aquila Symmachusque et Theodotio ἕλκος interpretati sunt, per quod morbum regium intelligi volunt, cui contraria putantur, vel sumpta in cibo, vel apposita corpori quaecumque sunt dulcia. Ergo ut Dei potentia monstraretur, per res noxias et adversas sanitas restituta est. Alii SIIN, non ulcus, sed apostema suspicantur: quando tumens corpus cocto et putrescente pure completur. Et juxta artem medicorum, omnis sanies siccioribus ficis atque contusis, in cutis superficiem provocatur: ac per hoc non spernendam esse medicinam, quae usu constet et experimento: quia et hanc fecerit Deus. Oratio igitur ac gratiarum actio hucusque conscripta est. Caeterum quod signum datum sit, superior historiae ordo narravit.

## (Cap. XXXIX.---Vers. 1 seqq.)

In tempore illo misit Merodach Baladan, filius Baladan, rex Babylonis, libros et munera ad Ezechiam: audierat enim quod aegrotasset et convaluisset. Laetatusque est super eis Ezechias: et ostendit eis cellam aromatum, et argenti, et auri, et odoramentorum, et unguenti optimi, et omnes apothecas supellectilis suae et universa quae inventa sunt in thesauris ejus: non fuit verbum quod non ostenderit eis Ezechias in domo sua, et in omni potestate sua. Supra legimus, quarto decimo anno regis Ezechiae ascendisse Sennacherib regem Assyriorum super omnes civitates Judae munitas, et cepisse eas, et postea obsedisse Lachis, transisse

Lobnam, misisse Jerusalem partem exercitus sui, caesaque per Angelum centum octoginta quinque millia exercitus ejus, et ipsum fugisse Niniven, interfectumque a filiis in fano Dei sui, et regnasse pro eo Assaraddon filium ejus: aegrotasse Ezechiam, et recepisse Prophetae nuntio sospitatem; factum signum incredibile, ut sol decem horarum spatiis reverteretur ad ortum suum, et pene duplex dies fieret. Nunc legimus quod in tempore illo, hoc est, in eodem anno quo haec gesta sunt omnia, miserit Merodach Baladan, filius Baladan, rex Babylonis, libros et munera ad Ezechiam; non Assaraddon, qui Sennacherib patri apud Assyrios in regnum successerat, de cujus seu morte, seu vita Scriptura conticuit. Ex quo perspicuum est aliud fuisse tunc regnum Assyriorum, et aliud Babyloniorum. Denique Samariam, id est, decem tribus cepere Assyrii. Judam autem et Jerusalem postea legimus cepisse Chaldaeos, quorum rex Nabuchodonosor fuit. Et quia apud eos astrorum observantia est, stellarumque cursus longo usu et exercitatione cognitus, quod et in Domini nativitate monstratur: intellexerunt solem reversum, diei spatia duplicata, servire ei quem solum Deum putabant. Cumque causas hujus miraculi rationemque perquirerent, fama per omnes gentes volitante, didicerunt propter aegrotationem regis Judae, etiam cursum signi clarissimi commutatum. Quam non esse opinationem meam, sed Scripturae sanctae fidem, Dierum verba testantur, quae dixere post alia: Ipse est Ezechias, qui obturavit superiorem fontem aquarum Gion: et avertit eas subter ad occidentem urbis David. In omnibus operibus suis fecit prospere quae voluit; attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, ut interrogarent de portento quod acciderat super terram, reliquit eum Deus ut tentaretur: et nota fierent omnia quae erant in corde ejus (II Paral. XXXII, 30, 31). Idcirco autem tentationi relictus est, quia post tantam victoriam, et solis regressum, et congratulationem regni potentissimi, cor illius elevatum est. Denique in eodem volumine scribitur: Multi deferebant hostias, et sacrificia

Domino in Jerusalem, et munera Ezechiae regi Juda: et exaltatus est coram cunctis gentibus. In diebus illis aegrotavit usque ad mortem, et oravit Dominum; et exaudivit eum, et dedit ei signum; sed non juxta beneficia quae acceperat, retribuit: quia exaltatum est cor ejus, et facta est contra eum ira, et contra Judam et Jerusalem (II Par. XXXII, 23, 24). Rursumque Scriptura sancta elationem cordis ejus dicit poenitentia mitigatam, inferens: Et humiliatus est postea, eo quod exaltatum esset cor ejus, tam ipse quam habitatores Jerusalem: et idcirco non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiae. Laetatus est ergo in adventu legatorum Merodach, quem patrem fuisse Nabuchodonosor Hebraei autumant; et in oblatione munerum, et congratulatione sanitatis suae. Ostenditque eis juxta Septuaginta domum NECHOTHA qua Symmachus transtulit aromatum suorum; et thesauros argenti, et auri et odoramentorum et unguenti optimi: quod in Hebraico scribitur, olei boni; et omnes thesauros vasorum gazae, sive, ut ibi legitur, vasorum suorum. Gaza autem lingua Persarum divitiae nuncupantur: nec est Hebraeus sermo, sed Barbarus. Non fuit, inquit, verbum (quod juxta Hebraicam consuetudinem pro re frequenter accipitur), quod non ostenderit eis in domo sua et in omni potestate sua. Unde Dei ira justissima, quoniam non solum thesauros suos atque palatii, sed et Templi ostenderit: quod certe fuit potestatis ejus, de cujus valvis auri laminas ante jam tulerat.

## (Vers. 3 seqq.)

Introivit autem Isaias Propheta ad regem Ezechiam, et dixit ei: Quid dixerunt viri isti: et unde venerunt ad te? Et dixit Ezechias: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone. Et dixit: Quid viderunt in domo tua? Et dixit Ezechias: Omnia quae in domo mea sunt viderunt: non fuit verbum, sive res, quam non ostenderim eis in thesauris meis. Et dixit Isaias ad Ezechiam: audi verbum Domini exercituum. Ecce dies veniet, et auferentur omnia quae in

domo tua sunt, et quae thesaurizaverunt patres tui usque ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quidquam, dixit Dominus. Et de filiis tuis qui egredientur ex te, quos genueris, tollent: et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. Et dixit Ezechias ad Isaiam: Bonum verbum Domini quod locutus est. Et ait: Fiat tantum pax et veritas in diebus meis.

Tradunt Hebraei ideo aegrotasse Ezechiam, quoniam post inauditam victoriam Judaeorum, et Assyrii regis interitum, non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moyses Pharaone submerso (Exod. XV), et Debbora interfecto Sisara (Judic. IV), et Anna genito Samuele (I Reg. II). Unde commonitum esse fragilitatis suae. Rursumque post corporis sanitatem, et signi magnitudinem offerri aliam occasionem superbiae, quam, ut prudens et Dei cultor, vitare debuerat; nec monstrare alienigenis divitias suas, quas, Deo tribuente, possederat. Ex quo juxta Leges quoque tropologiae discimus, non mittendas margaritas ante porcos, nec dandum sanctum canibus (Matth. VII). Qui enim fidelis est spiritus, abscondit negotia; et quicumque hoc non fecerit, omnis virtus illius enervatur; peritque posteritas, et amisso virili robore, in muliebrem redigitur mollitudinem (Prov. XI, 13-15). Ingreditur ergo Isaias ad regem, et quasi nescius sciscitatur. Quid dixerunt viri isti, et unde venerunt? Duo interrogat, quid locuti sint, et unde venerint? Ille ad unum respondit, altero praetermisso: quod cum --- et supercilio legendum est: De terra longinqua venerunt ad me, de Babylone: quod quanto terra longior sit unde venerunt, tanto iste gloriosior propter quem venerint. Et venerunt, inquit, ad me; qui debuerat dicere, venerunt ad glorificandum Deum pro signi magnitudine, de Babylone, quae urbs in toto orbe potentissima est. Rursumque Isaias, Quid, inquit, viderunt in domo tua? Et ille respondit ex parte verum, quod omnia viderint in domo illius, nec fuerit res quam non ostenderit eis in thesauris suis. Sed alterum tacet, de quo verebatur offensam, quod

ostenderit eis cuncta quae haberet in potestate sua; haud dubium quin et Templi supellectilem. Propter quae Isaias Dei sermone profert sententiam: Audi verbum Domini exercituum: Veniet tempus quando omnia haec quae in domo tua sunt, et non tuo, sed patrum tuorum labore quaesita, in Babylonem transferantur, et de semine tuo fiant eunuchi in aula regia. Ex quo Hebraei volunt Danielem, Ananiam, Misael, et Azariam, qui fuere de regio semine, factos esse eunuchos, quos in ministerio regis Nabuchodonosor fuisse non dubium est. Dixit itaque Ezechias: Bonum verbum Domini quod locutus est. In quo ab Hebraeis reprehenditur, cur non sit imitatus bonitatem Moysi, qui locutus ad Dominum est: Aut dimitte eis hanc noxam: aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti (Exod. XXXI, 32). Unde et apostolus Paulus anathema vult esse a Christo pro fratribus suis qui sunt Israelitae (Rom. IX); et propterea Ezechiam Dei sermonibus non probatum, qui in consequentibus loquitur: Consolamini, consolamini, populus meus, dicit Deus vester, ut pro quibus ille non rogaverat, Domini clementia consolentur.

## (Cap. XL.---Vers. 1 seqq.)

Consolamini, consolamini, populus meus, dicit Deus vester: Loquimini ad cor Jerusalem, et advocate eam; quoniam completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas illius. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.

LXX: Consolamini, consolamini populum meum, dicit Deus ÷ sacerdotes ** loquimini ad cor Jerusalem: consolamini eam: quia repleta est humilitas ejus. Solutum est peccatum illius, quia recepit de manu Domini duplicia peccata sua. Juxta interpretes caeteros, jubentur alii, ut populum Dei et Jerusalem pariter consolentur: juxta Hebraicum ipsi praecipitur populo, ut consoletur, et loquatur ad cor Jerusalem, et advocet eam. Loqui autem

ad cor Jerusalem, idioma Scripturarum est. Qui enim moerenti loquitur, et blandiens consolator est, ad cor loqui dicitur. Doceat nos Sichem filius Hemor, qui corrupta Dina locutus est ad cor ejus, et consolatus est eam (Genes. XXXIV). Et ubicumque simile quid inveneris, hunc sensum habet. Causaque consolationis, remissio peccatorum est: et causa remissionis, quoniam suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis. Qui enim scit voluntatem Domini sui, et peccat, vapulabit multis (Luc. XII). Omnisque qui habet in se habitatorem Spiritum Sanctum, quem Salvator Apostolis promittebat, dicens: Rogabo Patrem meum, et alium consolatorem dabit vobis, ut sit vobiscum in sempiternum, Spiritum veritatis (Joan. XIV, 16); et iterum: Cum autem venerit consolator Spiritus Sanctus, quem mittet Pater meus in nomine meo, ille vos docebit omnia (Ibid., 26); et rursum: Cum venerit consolator quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre egreditur, ille testificabitur de me (Joan. XV, 26); et: Prodest vobis ut ego vadam: nisi enim ego abiero, consolator non veniet ad vos (Joan. XVI, 7); consolator est, cui et nunc praecipitur, ut consoletur populum Dei. Unde et Apostolus Paulus loquebatur ad credentes: Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus omnis consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus consolari eos qui in omni tribulatione sunt, per consolationem qua ipsi consolamur a Deo: quoniam sicut superabundant passiones Christi in nobis, sic per Christum abundabit et consolatio nostra (II Cor. I, 1-6); et iterum: Et spes nostra firma est pro vobis: scientes quoniam sicut participes estis passionum, sic et consolationis eritis (II Cor. I, 7). Quis sit autem iste populus, qui per Apostolos et viros Ecclesiasticos consolatur, non Israel, et Jacob et Juda, ut in aliis locis Scriptura commemorat, sed populum Dei, Zacharias Propheta testatur dicens: Gaude et laetare, filia Sion: quia ego veniam et habitabo in medio tui, dicit Dominus. Et confugient gentes multae ad Dominum in die illa, et

erunt ei in populum, et habitabunt in medio tui, et cognoscent quoniam Dominus omnipotens misit me ad te (Zach. II, 10, 11). Quo testimonio perspicue demonstratur, gentes plurimas in populum Dei esse vertendas. Et haec dicit Dominus missus a Domino, cui nomen Omnipotens est. Et hoc notandum quod non solvantur peccata nostra, nisi de manu Domini receperimus ea. Nec idem est solvi peccata, atque dimitti. Cui enim dimittuntur, solutione non indiget, audiens in Evangelio: Confide, fili, dimittuntur tibi peccata tua (Matth. IX, 2). Cui autem solvuntur, propterea solvuntur, quia purgata sunt et soluta per poenas. Juxta historiam recepit Jerusalem de manu Domini duplicia peccata sua; semel a Babyloniis, secundo a Romanis. Quodque additur a Septuaginta, Sacerdotes, obelo praenotandum est.

## (Vers. 3 seqq.)

Vox clamantis in deserto, parate viam, Domini, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. Omnis vallis exaltabitur, et omnis mons et collis humiliabitur: et erunt prava in directa, et aspera in vias planas, et revelabitur gloria Domini, et videbit omnis caro pariter quod os Domini locutum est.

LXX: Vox clamantis in deserto: parate viam Domini: rectas facite semitas Dei nostri. Omnis vallis implebitur: et omnis mons et collis humiliabitur; et erunt prava in directa, et aspera in campos. Et apparebit gloria Domini: et videbit omnis caro salutare Dei, quia Dominus locutus est. Hujus vocis memores Scribae et Pharisaei et principes Judaeorum, cum audissent Joannem in solitudine praedicare baptismum poenitentiae, et docere populum, mittunt qui interrogent eum, utrum ipse sit Christus, an Elias, an Propheta: Cumque respondisset nihil se horum esse, rursus interrogant: Dic ergo nobis, quis es? ut responsum demus his qui miserunt nos. Quid dicis de te? Atque ille respondit: Ego sum vox clamantis in

deserto: parate viam Domini; sicut dixit Isaias Propheta (Joan. I, 22, 23). In quo animadvertendum, quod rectae viae Domini et semitae Dei nostri: impletio vallium et montium, colliumque humiliatio, et pravorum correctio, et asperorum rupiumque campestria: et gloria Domini et salutare Dei nostri, non praedicetur in Jerusalem, sed in solitudine Ecclesiae, et in deserta gentium multitudine, de qua supra (Ad cap. XXXV, 1) legimus: Laetare deserta sitiens: exsultet solitudo, et floreat quasi lilium. Haec enim deserta erat notitia Dei, et ab idolis tenebatur humilis in confessione, erecta in superbia, aspera et intractabilis in feritate. Sed postquam apparuit gloria Domini; et vidit omnis caro salutare Dei, cuncta repente mutata sunt, et via Domini praeparata, ita ut appareret in solitudine gloria Dei; quando baptizatus est Dominus in Jordane, et aperti sunt coeli, et Spiritus Sanctus in specie columbae descendit, et mansit in eo: voxque Patris desuper intonantis audita est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: hunc audite (Matth. III, 17). Et omnis caro vidit salutare Dei. Quae propterea appellabatur caro, quia prius Sanctum Spiritum non habebat. De qua dicit et Dominus: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quoniam carnes sunt (Gen. VI, 3). Illa autem caro videbit salutare Dei, de qua per Joel idem loquebatur: Effundam de spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt (Joel. II, 28). Quod non solum illo tempore clamabat Joannes, qui sermonis Dei praecursor et praevius, recte vox appellatur (Matth. III); sed usque hodie in deserto gentilium, Ecclesiarum clamant magistri: ut rectas faciamus vias et semitas in cordibus nostris Deo, impleamurque virtutibus, et inclinemur humilitate; prava mutemus in recta, aspera vertamus in mollia: et sic gloriam Domini et salutare Dei videre mereamur.

## (Vers. 6 seqq.)

**Vox dicentis, clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro foenum, et omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est foenum, cecidit flos; quia spiritus Dei flavit in eo: vere foenum est populus. Exsiccatum est foenum, cecidit flos; verbum autem Domini nostri stabit in aeternum.**

**LXX: Vox dicentis, clama: et dixi, Quid clamabo? Omnis caro foenum, et omnis gloria hominis quasi flos foeni. Aruit foenum, et cecidit flos + quia spiritus Dei flavit in eo + vere foenum est populus + exsiccatum est foenum, cecidit flos ** verbum autem Dei nostri manet in sempiternum: Hoc quod asteriscis notatur: quia spiritus Dei flavit in eo: vere foenum est populus: aruit foenum, cecidit flos, ex Hebraico et Theodotionis editione additum est. Ex quo manifestum est, vel a LXX praetermissum, vel paulatim scriptorum vitio abolitum: dum et prior et sequens versus finitur in flore. Supra legimus, Propheta dicente: Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam, et quis ibit ad populum istum? Et dixi: Ecce ego, mitte me; et ait: Vade et dic populo isti: Aure audietis, et non intelligetis: et videntes videbitis, et non videbitis, et reliqua. Ad quam praedicationem dura perpessus, nunc Domini voce dicente, clama, timens similia, quid clamare debeat sciscitatur; et a generali incipiens, Omnis caro foenum, et omnis gloria ejus quasi flos foeni, pervenit ad speciale, ut nihilominus dicat de populo: Vere foenum est populus. Et revera si quis fragilitatem carnis aspiciat, et quod per horarum momenta crescimus atque decrescimus, nec in eodem manemus statu: ipsumque quod loquimur, dictamus, et scribimus, de vitae nostrae parte praetervolat: non dubitabit carnem foenum dicere, et gloriam ejus quasi florem foeni, sive prata camporum. Qui dudum infans, subito puer; qui puer, repente juvenis; et usque ad senectutem per spatia mutatur incerta; et ante se senem intelligit, quam juvenem non esse se miretur. Pulchra mulier quae adolescentulorum post se trahebat greges, arata fronte contrahitur: et quae prius**

amori, postea fastidio est. Quod et egregius apud Graecos scribit orator: Speciem corporis aut tempore deficere, aut languore consumi. Exsiccata est igitur caro, et cecidit pulchritudo; quia spiritus furoris Dei atque sententiae flavit in ea (ut a generali disputatione ad Scripturae ordinem revertamur), ejus qui portat imaginem terreni, et servit vitiis atque luxuriae; foenumque est et flos praeteriens. Qui autem habet atque custodit imaginem coelestis, ille caro est quae cernit salutare Domini, quae quotidie renovatur in cognitionem secundum imaginem Creatoris, et incorruptibile atque immortale corpus accipiens, mutat gloriam, non naturam. Verbum autem Domini nostri, et hi qui verbo sociati sunt, permanent in aeternum.

## (Vers. 9 seqq.)

Super montem excelsum ascende tu quae evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam quae evangelizas Jerusalem: exalta, noli timere, dic civitatibus Judae: Ecce Deus vester: ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium ejus dominabitur. Ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram eo. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, et in sinu suo levabit: foetas ipse portabit.

LXX: Super montem excelsum ascende qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Jerusalem: exalta, noli timere: dic civitatibus Juda: Ecce Deus vester, ecce Dominus Deus cum virtute veniet, et brachium cum dominatione: ecce merces ejus cum eo, et opus in conspectu illius. Sicut pastor pascet populum suum, et in brachio suo congregabit agnos: et praegnantes consolabitur. Praecipitur Apostolorum choro, ut ad praedicationem omnis carnis quae visura sit salutare Dei, excelsa conscendat: de magnisque dicturi, in sublimibus commorentur. Porro Hebraicum et caeteri interpretes ponunt genere feminino, ut dicant, quae

evangelizas Sion, et quae evangelizas Jerusalem. Quod verbum juxta Graecos ambiguum est, ut possimus accipere, vel eam quae nuntiat, vel eam cui nuntiatur. Sive igitur nuntiat verbum Dei, et Domini salutare, Sion et Jerusalem: De Sion enim exivit lex: et verbum Domini de Jerusalem (Isai. II, 3); sive nuntiatur eis per Apostolos, debent excelsa conscendere, et ad montana transire. Mirumque in modum cum ipsa Sion mons sit, dicente Scriptura: Mons Sion in quo habitasti (Ps. LXXIII, 3): alium altiorem montem jubetur ascendere, a quo vulneratus est princeps Tyri. Et quia doctrinae Apostolorum erant multa futura contraria; et statuti ante praesides et tribunalia ducebantur, jungitur, exalta, noli timere: dic civitatibus Juda, Synagogis videlicet et populis Judaeorum, de quibus Dominus loquebatur: Non veni nisi ad oves perditas domus Israel (Matth. XV, 24). Et Paulus apostolus: Vobis, inquit, oportebat annuntiari primum verbum Dei (Act. XIII, 46). Quid est autem illud quod jubentur dicere? Ecce Deus vester, quem semper exspectabatis: Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, quem contempsistis in humilitate venientem. Et fortitudo ejus dominabitur, qui prius formam servi acceperat, factus Patri obediens usque ad mortem (Philipp. III). Ecce merces ejus cum eo, et opus illius coram eo (Isa. XL, et LXII). Juxta quod ipse dicit in Evangelio: Venturus est enim Filius hominis in gloria Patris sui et reddet unicuique secundum opus suum (Matth. XVI, 17). Sicut pastor gregem suum pascet. Iste qui postea in majestate venturus est, prius formam pastoris accipit, et dicit ipse de se: Ego sum pastor bonus, et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae, et pono animam meam pro ovibus meis (Joan. X, 14, 15). De quo in Zacharia Pater loquitur: Percutiam pastorem; et oves dispergentur (Zach. XIII, 7). In brachio, inquit, suo congregabit agnos; non tauros, et arietes, et hircos, et grandes oves, quibus per Ezechiel (Cap. XXXIV) comminatur, quod lacte vescantur et operiantur lanis, et infirmum conterant gregem, sed agnos adhuc tenellos, et rudis in Christo infantiae, qui

nuper in baptismo sunt renati, de quibus ipse Dominus loquebatur ad Petrum: Pasce agnos meos (Joan. XXI, 15). Unde et in eodem Ezechiele scriptum est: Suscitabo super eos pastorem unum, et pascet eos, servum meum David; et erit pastor eorum, et ego Dominus ero eis in Deum, et David in medio eorum princeps. Ego Dominus locutus sum, et ponam cum David testamentum pacis (Ezech. XXXIV, 23-25). In quo considerandum quod post multa tempora David, gulosis pastoribus reprobatis, Dominum nostrum, qui est de stirpe David, suscitaturum esse se dicat, qui congreget agnos, et foveat in sinu suo, et foetus ovium, sive foetas oves ipse portet in humero suo. Sicut in Evangelio legimus, quod ovem erroneam et a grege solito remanentem, suis ad caulas humeris reportarit (Luc. XV). Possumus oves foetas Apostolos et Apostolicos viros omnesque Ecclesiae doctores dicere, qui salutem parturiunt plurimorum, et dicunt cum Apostolo: Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (Galat. IV, 19): Hebraei asserunt, nec de hac re apud eos ulla dubitatio est, Spiritum sanctum lingua sua appellari genere feminino, id est, RUA CODSA. Illudque quod in sexagesimo septimo psalmo dicitur: Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa: illi sic intelligunt: Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa (Ps. CXXII, 3): his videlicet animabus quae Spiritum sanctum consecutae sunt. Necnon et illud: Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae, animam interpretantur ancillam, et dominam Spiritum sanctum. Sed et in Evangelio quod juxta Hebraeos scriptum, Nazaraei lectitant, Dominus loquitur: modo me tulit mater mea, Spiritus sanctus. Nemo autem in hac parte scandalizari debet, quod dicatur apud Hebraeos spiritus genere feminino, cum nostra lingua appelletur genere masculino, et Graeco sermone neutro. In divinitate enim nullus est sexus. Et ideo in tribus principalibus linguis, quibus titulus Dominicae scriptus est passionis, tribus generibus appellatur, ut sciamus nullius esse generis quod diversum est.

## (Vers. 12 seqq.)

Quis mensus est pugillo aquas, et coelum palmo ponderavit? Quis appendit tribus digitis molem terrae, et libravit in pondere montes, et colles in statera? Quis adjuvit spiritum Domini: aut quis consiliarius ejus fuit; et ostendit illi? cum quo iniit consilium, et instruxit eum, et docuit eum semitam justitiae, et erudivit eum scientia, et viam prudentiae ostendit illi? Ecce gentes sicut stilla situlae, et quasi momentum staterae reputatae sunt: ecce insulae quasi pulvis exiguus. Et Libanus non sufficit ad succendendum, et animalia ejus non sufficient ad holocaustum. Omnes gentes quasi non sint, sic sunt coram eo, et quasi nihili et inane reputatae sunt ei.

LXX: Quis mensus est manu aquam, et coelum palmo, et omnem terram pugillo? Quis statuit montes pondere, et rupes statera? Quis cognovit mentem Domini: aut quis consiliarius ejus fuit? Quis docuit eum, cujus accepit consilium, et instruxit illum? Vel quis ostendit ei judicium, et viam intelligentiae quis ostendit illi? Si omnes gentes sicut stilla situlae, et quasi momentum staterae reputatae sunt, et quasi saliva reputatae sunt. Libanus non sufficit ad comburendum, et omnia quadrupedia non sufficiunt ad holocaustum, et cunctae gentes quasi nihili sunt, et in nihili reputatae sunt ei. Ne quis putaret difficilem esse vocationem gentium, et quod omnis caro videret salutare Dei; super montem excelsum juberentur ascendere, qui evangelizant Sion; et ipse Dominus veniret in fortitudine, et redderet unicuique secundum opus suum; instarque pastoris agnos foveret in sinu, et foetas ipse portaret: describitur illius magnitudo, quod nihil ei impossibile sit; et qui universa condiderit, Creatorque sit omnium; etiam haec quae comparatione eorum parva sunt, valeat perpetrare. Quod autem pugillum vocat et palmum, humanae consuetudinis verbis utitur atque mensuris, ut Dei potentiam per nostra verba discamus. In eo ubi LXX transtulerunt: Quis mensus est manu aquam? sive ut nos

vertimus: Quis mensus est pugillo aquas? Aquila transtulit: Quis mensus est minimo digito aquas? Hoc enim λιχὰς sonat: ut scilicet non tota manu, sed parvo digito, quem vulgo gustatorem vocant, omnis aquarum vastitas ponderetur: --- autem, hoc est, palmus, extentam significat manum a pollice usque ad extremum digitum. Sin autem contrahamus manum, pugillus efficitur: ut per palmum et pugillum, extentos coelos et globum terrae noverimus. Pro pugillo quem in comprehensione terrae LXX transtulerunt, in Hebraico scriptum est SALIS, quem Symmachus --- Aquila --- interpretati sunt: et nos ut manifestius faceremus, in tres digitos vertimus; quod scilicet molem terrae et excelsa montium colliumque quasi tribus digitulis et staterae parvo momento appenderit: per quae Dei majestas et Creatoris potentia demonstratur. Quis, inquit, adjuvit spiritum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit, et ostendit illi? etc. Pro quibus Symmachus interpretatus est: Quis paravit spiritum Domini, et virum consilii ejus quis ostendit ei? cum quo iniit consilium, deditque ei intelligentiam, et docuit eum viam judicii, et instruxit illum scientia, et iter prudentiae monstravit ei? Per quod ostendit manifestius paratum spiritum, sive firmatum illum esse, de quo in Apostolo legitur: Dominus autem Spiritus est. Et, Super quem requievit Spiritus Dei, Spiritus sapientiae, et intelligentiae, et reliqua. Qui dicit in consequentibus: Spiritus Domini super me: propter quod unxit me (Isai. LXI, 1). Ipse est enim spiritus Domini, et vir consilii ejus, in quo habitavit omnis plenitudo divinitatis corporaliter (Coloss. II). Cum illo iniit consilium, de quo supra (Ad cap. XI, 6) diximus: Admirabilis, consiliarius. Et in Proverbiis scriptum est, Deus sapientia fundavit terram: paravit autem coelos prudentia (Prov. III, 19). Porro LXX qui dixerunt: Quis novit mentem Domini, et quis consiliarius ejus fuit? hoc intelligi volunt, quod mens et ratio et sensus Dei, per quem facta sunt omnia, et sine quo factum est nihil, ille sit de quo in Psalmis canitur: Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum (Ps.

XXXII, 6). Omnes gentes quae non noverant Creatorem suum, sive universum mortalium genus ad comparationem Dei quasi stilla situlae sunt, et quasi momentum staterae, quod levi pondere in partem alteram declinatur. Et quomodo si de situla stilla modica fluat, a portante negligitur; ita universa gentium multitudo supernis ministeriis comparata et Angelorum multitudini, pro nihilo ducitur. Insulae quoque quasi saliva reputantur, sive ut Symmachus et Theodotio ipsum ponentes Hebraicum, sicut DOC, quod decidit: pro quo Aquila --- transtulit. Aiunt autem Hebraei hoc verbo significari tenuissimum pulverem, qui vento raptante saepe in oculos mittitur, et sentitur potius quam videtur. Minutissima ergo frusta pulveris et pene invisibilia, hoc verbo appellantur: quas forsitan Democritus cum Epicuro suo atomos vocat. Multaque sunt nomina quae ita leguntur in Graeco, ut in Hebraico posita sunt, propter interpretandi difficultatem, et ad comparationem linguae Hebraeae, tam Graeci quam Latini sermonis pauperiem. Simulque ut paulatim homines abstrahat ab idololatria, aufert caeremonias victimarum; et docet quod omnia ligna Libani et armenta quae in eo pascuntur, holocaustis ejus sufficere nequeant. Si autem omnes gentes sic sunt in conspectu illius quasi non sint, et quasi nihil et inane reputantur (in omnibus autem gentibus et Israel est), ergo et ipse sic est quasi non sit, et in nihili atque inane reputatur. Hoc dicimus, ut frangatur ejus superbia, et caeterarum gentium similes esse se noverint.

## (Vers. 18 seqq.)

Cui ergo similem fecistis Deum: aut quam imaginem ponetis illi? Numquid sculptile conflavit faber, aut aurifex auro figuravit illud, et laminis argenteis argentarius? Forte lignum et imputribile elegit artifex sapiens: et quaeret quomodo statuat simulacrum quod non moveatur.

Descripta Dei magnitudine, et potentia illius ex parte monstrata, gentibus quoque insulisque quasi stilla situlae, et momento staterae reputatis, ac pulvere, et hostiarum caeremoniis refutatis, cur omnes gentes quasi nihili sint in conspectu ejus, et quasi inane reputentur, sequentibus docet: Cui similem fecistis Deum: aut quam imaginem ponetis ei, qui spiritus est, et in omnibus est, et ubique discurrit, et terram quasi pugillo continet? Simulque irridet stultitiam nationum, quod artifex sive faber aerarius, aut aurifex aut argentarius Deum sibi faciant, et laminis clavisque compingant ac fortiter statuant, ne ventorum flatibus detrudatur. Quodque intulit: forte lignum et imputribile elegit artifex sapiens, in Hebraico dicitur AMSUCHAN; quod genus ligni est imputribile, quo vel maxime idola fiunt. Haec autem dicit, ut idolis reprobatis, Evangelicae doctrinae paret viam, et omnia prava dirigantur in rectum; exaltentur valles, et colles humilientur; et reveletur gloria Domini, ut omnis caro videat salutare Dei. Juxta tropologiam possumus dicere, quod increpentur principes haereticorum, diversa idola de suo corde fingentes; vel eloquii venustate, quod interpretatur argentum; vel splendore auri, quod refertur ad sensum; vel ligno imputribili, quae viliora sunt dogmata: et perpetua putentur a fingentibus, et dialectica arte firmentur, ne moveantur et corruant, sed solida radice consistant.

## (Vers. 21 seqq.)

Numquid non scietis? numquid non audietis? numquid non annuntiatum est ab initio vobis? numquid non intellexistis fundamenta terrae? Qui sedet super gyrum terrae: et habitatores ejus quasi locustae. Qui extendit velut nihilum coelos, et expandit eos sicut tabernaculum ad inhabitandum. Qui dat secretorum scrutatores quasi non sint: judices terrae velut inane fecit. Equidem neque plantatus, neque satus, neque radicatus in terra truncus eorum: repente flavit in eos et aruerunt,

et turbo quasi stipulam auferet eos. Et cui assimilastis me et adaequastis? dicit Sanctus. Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit haec: qui educit in numero militiam eorum, et omnes ex nomine vocat. Prae multitudine fortitudinis et roboris, virtutisque ejus: neque unum reliquum fuit. LXX: Nonne scietis? nonne audietis? nonne annuntiatum est vobis a principio? Non cognovistis fundamenta terrae? Qui tenet gyrum terrae, et habitatores ejus quasi locustas. Qui statuit quasi cameram coelum, et extendit quasi tabernaculum ad habitandum. Qui dat principes regnare pro nihil, terram autem quasi nihili fecit. Siquidem non plantabuntur, neque serentur, nec solidabitur in terra radix eorum. Flavit super eos, et arefacti sunt, et tempestas assumet illos quasi stipulam. Nunc ergo cui assimilastis me? exaequabor eis? dixit Sanctus. Elevate sursum oculos vestros, et videte quis ostendit haec omnia. Qui educit juxta numerum ornatum suum, omnes in nomine vocabit, a multa gloria et in robore fortitudinis: nihil te latet. Ab initio, inquit, naturali lege vos docui, et postea per Moysen scripta Lege testatus sum, quid nihil esset idola, et quod Creator mundi ipse esset Deus, qui tantam molem terrae fundasset super maria, et super flumina collocasset eam: ut elementum gravissimum super tenues aquas Dei penderet arbitrio, qui instar regis sedet super gyrum terrae: ex quo nonnulli quasi punctum et globum eam esse contendunt, et habitatores illius quasi locustas. Si enim in toto orbe consideremus varias nationes, et ab Oceano usque ad Oceanum, id est, ab Indico mari usque ad Britannicum, et ab Atlantico usque ad Septentrionis rigorem, in quo congelascunt aquae, et succina pulchra concrescunt, omne in medio hominum genus quasi locustas habitare cernimus. Quid igitur superbit terra et cinis? quia coelum, immo ut Scripturarum utar auctoritate, coeli extenduntur, quasi camera; sive, ut in Hebraico continetur, quasi DOC, de quo supra diximus: pro quo LXX ibi salivam interpretati sunt: et unum verbum nunc sputum, nunc cameram, id est, fornicem transtulerunt; et

tantam eorum latitudinem quasi tabernaculum et papilionem extendit desuper, ut in similitudinem tecti operiret homines, et quasi in domo latissima habitare faceret: quid miremur si parva hominum corpora quasi locustae, et minuta reputentur animantia? Rursum et in hoc loco ἡμικύκλιον terris imminere coelum, et in similitudinem sphaerae coelum esse contendunt, abutuntur nomine fornicis, quod scilicet media pars sphaerae terras operiat: cum in Hebraico non fornicem, sed DOC, id est, tenuissimum pulverem legerimus. Pro quo saliva quae projicitur in terram, et pulveri commiscetur, et deperit, ostendit universam corporum magnitudinem pro nihili reputandam. Qui autem extendit coelos et expandit eos: ut vel supra habitarent Angelorum multitudines, vel subter homines morarentur, et quasi magnam rationabilibus creaturis fecit domum: ipse pro qualitate temporum principes constituit, sive secretorum scrutatores, ut sint quasi non sint; et judices terrae velut inane fecit. Pro quo LXX transtulerunt, terram autem quasi nihili fecit; siquidem et in principio Geneseos ubi scriptum est: Terra autem invisibilis, et incomposita (Genes. I, 1), caeteri transtulerunt: Terra autem erat inane et nihili. Quantos reges et Graeca et Barbara, Romanaque narrat historia! Ubi est Xerxis innumerabilis ille exercitus? Ubi Israelitica in eremo multitudo? Ubi regum incredibilis potentia? Quid de veteribus loquar? praesentia exempla nos doceant, esse principes quasi nihili, et judice terrae quasi inane reputari. Qui principes et judices terrae (sive, ut alii suspicantur, coeli) nec sati sunt, nec plantati sunt, nec firma radice solidati, et repente jussione Dei ita auferuntur et pereunt, quasi stipula a turbine et tempestate raptatur; juxta illud quod scriptum est: Et transivi, et non erat; et quaesivi eum, et non est inventus locus ejus (Ps. XXXVI, 36). Cum ergo tanta sit potentia Creatoris atque majestas, cui Deum similitudini comparatis? et non potius ex creaturarum magnitudine intelligitis conditorem? Si non creditis verbis, saltem oculis vestris credite; et ex coelorum elementorumque

omnium servitute potestatem Domini cogitate. Qui educit in numero militiam eorum, id est coelorum; et omnes ex nomine vocat, subauditur, stellas. De quibus et in Psalmis canitur: Qui numerat multitudinem stellarum: et omnes eas ex nomine vocat (Ps. XLVI, 4). Sive militiam coeli, Angelos interpretemur, et omnes coelorum exercitus, de quibus et Daniel loquitur: Millia millium ministrabant ei, et decies centena millia assistebant illi (Dan. VII, 10). Unde et Dominus sabaoth appellatur, qui nostra lingua dicitur, Dominus militiae atque exercituum, sive virtutum. Educit autem juxta numerum coelorum militiam: ut et sol, et luna, et astra caetera, quae Abraham numerare non potuit, illi numerata sint, et serviant officio delegato (Gen. XV): dum eumdem coeli cursum sol uno anno, lucifer vesperque biennio, luna singulis explet mensibus, omnesque stellae certis temporibus peragunt, et quaedam ex iis vocantur errantes, atque inaequales earum motus oculis, non mente conspicimus, nec tam intelligimus, quam miramur. Magnitudo enim fortitudinis Dei suo facit ordine cuncta servire. Sive juxta Septuaginta a multitudine gloriae et potentiae virtutis ejus, nihil eum latere potest: sed omnium vias rationesque et cursus Creatoris majestate cognoscit.

## LIBER DUODECIMUS.

Nullus tam imperitus scriptor est, qui lectorem non inveniat similem sui: multoque pars major est Milesias fabellas revolventium, quam Platonis libros. In altero enim ludus et oblectatio est, in altero difficultas et sudor mixtus labori. Denique Timaeum de mundi harmonia astrorumque cursu et numeris disputantem, ipse qui interpretatus est Tullius, se non intelligere confitetur. Testamentum autem Grunnii Corocottae Porcelli decantant in scholis puerorum agmina cachinnantium. Igitur et noster Luscius Lanuinus fruatur testibus, immo fautoribus suis; vincatque multitudine, quia forsitan vincit

ingenio. Mihi sufficit paucorum testimonium, et amicorum laude contentus sum, qui in expetendis opusculis meis, amore nostri labuntur, et studio Scripturarum; ac nonnullos fore arbitror qui hoc ipsum quod ad te, Eustochium, sermonem facio, obtrectationi patere contendant, non considerantes, Holdam et Annam ac Debboram, viris tacentibus, prophetasse: et in servitute Christi nequaquam differentiam sexuum valere, sed mentium. Duodecimus ergo in Isaiam explanationum liber hoc habebit exordium.

## (Vers. 27 seqq.)

Quare dicis, Jacob, et loqueris, Israel, abscondita est via mea a Domino: et Deo meo judicium meum transivit? Numquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus, Dominus qui creavit terminos terrae, non deficiet, neque laborabit, nec est investigatio sapientiae ejus. Qui dat lasso virtutem: et his qui non habent fortitudinem, robur multiplicat. Deficient pueri et laborabunt, et juvenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, current, et non laborabunt; ambulabunt, et non deficient.

LXX: Non enim dicas, Jacob: et quid locutus es, Israel: Abscondita est via mea a Deo, et Deus meus judicium meum abstulit, et recessit: et nunc nescis, et non audisti? Deus aeternus, Deus qui creavit terminos terrae: non esuriet, nec laborabit, nec est inventio prudentiae ejus. Qui dat esurientibus fortitudinem: et non dolentibus moerorem. Esurient enim juvenes, et laborabunt adolescentes, et electi infirmi erunt. Qui autem exspectant Deum, mutabunt fortitudinem. Assument alas quasi aquilae: current, et non laborabunt: gradientur, et non esurient. Cum Omnipotentis Dei tanta sit magnitudo, ut nihil eum lateat, et omnia illius arbitrio gubernentur, quare dicis Jacob, id est, duae tribus quae appellabantur Juda; et loqueris Israel, decem aliae tribus in Samaria,

quae jam captivae ductae estis in Assyrios: Abscondita est via mea a Domino: et a Deo meo judicium meum transibit? Et est sensus: Dicitis, ad Deum terrena non pertinent, nec considerat quid unusquisque nostrum gerat. Unde et nos ab hostibus injuste opprimimur, et in jumentorum et piscium similitudinem, juxta Abacuc, absque ullo rectore disperdimur (Abac. I). Quibus respondit Deus: Numquid nescis; nec praecedentium Scripturarum te verba docuerunt, sive juxta LXX ignoras, quia non audisti, quod aeternus Deus et Creator omnium Dominus omnia novit, omnia continet, omnia sua majestate dispensat? Nec aliquando deficit, nec laborat; ut tuum judicium non intelligat, et absconditae sint ab eo viae tuae? Nec est, inquit, investigatio sapientiae ejus, de quo loco illud Apostoli sumptum reor: Incomprehensibilia judicia ejus, et investigabiles [Forte ininvestigabiles] viae illius (Rom. XI, 33); sive, ut LXX transtulerunt, non esuriet, et non laborabit. Ubi enim cibus, ibi frequenter esuries, si cibum detraxeris: et ubi esuries, ibi et labor. Cum autem in Deo haec non sint, cur ei humanas jungitis passiones? quin potius ipse esurientibus et lassis dat fortitudinem, et qui videntur in saeculo esse quasi nihili, virtutem roburque multiplicat, sive juxta LXX, qui tribuit non dolentibus moerorem, est enim tristitia quae ducit ad mortem, et est tristitia quae ducit ad vitam. Unde his qui habent cor impoenitens, dat tristitiam ut peccata sua intelligant. Et quia multi gaudent in corporis sanitate, et adolescentiam atque pueritiam putant esse perpetuam, jungit et dicit, quod florens aetas cito concidat, et corpora robusta marcescant. Qui autem non in suis viribus, sed in Deo habeant fiduciam, et ejus semper misericordiam praestolantur, mutent fortitudinem, et vadant de virtute in virtutem: et assumant pennas sicut aquilae, et audiant: Renovabitur sicut aquilae juventus tua (Ps. CII, 5); currant ad Dominum, et ejus desiderio non laborent; ambulent, et numquam deficiant. Crebro diximus, aquilarum senectutem revirescere mutatione pennarum, et solas esse quae jubar solis aspiciant et

splendorem radiorum ejus possint micantibus oculis intueri: pullosque suos an generosi sint, hoc experimento probent. Itaque et sanctos repuerascere, et assumpto immortali corpore, laborem non sentire mortalium, sed rapi in nubibus obviam Christo, et nequaquam juxta LXX esurire, quia praesentem Dominum habeant cibum.

## (Cap. XLI.---Vers. 1 seqq.)

Taceant ad me insulae, et gentes mutent fortitudinem: accedant, et tunc loquantur: simul ad judicium propinquemus. Quis suscitavit ab Oriente Justum: vocavit eum ut sequeretur se? Dabit in conspectu ejus gentes, et reges obtinebit. Dabit quasi pulverem gladio ejus, sicut stipulam vento raptam arcui illius. Persequetur eos: transibit in pace, semita in pedibus ejus non apparebit. Quis haec operatus est et fecit: vocans generationes ab exordio? Ego Dominus, primus et novissimus ego sum. Viderunt insulae, et timuerunt: extrema terrae obstupuerunt, appropinquaverunt et accesserunt. Unusquisque proximo suo auxiliabitur: et fratri suo dicet, Confortare. Confortavit faber aerarius percutiens malleo eum qui cudebat tunc temporis, dicens, glutino bonum est: et confortavit eum in clavis, ut non moveretur.

LXX: Innovamini ad me insulae, principes enim mutabunt virtutem: appropinquent et loquantur simul: tunc judicium annuntient: Quis suscitavit de Oriente justitiam: vocavit eam ad pedes suos et vadet? Dabit in conspectu gentium: et reges in stuporem mittet, et dabit in terram gladios eorum: et sicut stipulam projectam arcus eorum: et persequetur eos, transibit in pace via pedum ejus. Quis operatus est et fecit haec? vocabit eam, qui vocat eam a generationum principio. Ego Deus primus, et in haec quae ventura sunt ego sum. Viderunt gentes et timuerunt: termini terrae obstupuerunt et accesserunt: venerunt simul, judicans unusquisque

proximo suo auxiliari et fratri: et dicet: praevaluit vir artifex et aerarius percutiens malleo simul producens: aliquando quidem dicit, solidatio bona est. Confortaverunt ea, in clavis ponent ea: et non movebuntur. Gentes, id est, insulae, quae falsis amarisque hujus saeculi tunduntur fluctibus, jubentur audire et ora concludere, et illud nosse quod ad Israel dictum est: Audi, Israel, et tace; et mutare fortitudinem, ne per imbecillitatem pristinam, Dei non possint audire sermonem, ut accedant prius ad Dominum, et quod non sint propria salute contentae; sed quod didicerint, caeteros doceant, et cum Domino disputent, utrum omnium Deus justa servaverit. Sic autem interrogat eos, et ad respondendum provocat, ut interrogatione doceat quod ignorant: Quis suscitavit ab Oriente justum, sive justitiam? Neque enim Judaeorum tantum Deus, sed et gentium, qui vocavit Christum Dominum Salvatorem, qui factus est nobis sapientia a Deo, justitia et sanctitas, et redemptio (I Cor. I). In quo juxta eumdem Apostolum Dei justitia revelatur (Ibid.). Vocavit autem eum, ut se in omnibus sequeretur, et opera Patris faceret; et illud impleret dicens: Deus, ut facerem voluntatem tuam volui (Ps. XXXIX, 9). In hujus conspectu reges et gentes colla submittent, et gladio illius ac sagittis adversariae potestates, quasi stipula subjicientur, et pulvis. Persequetur eos, reges videlicet et principes gentium singularum: Et pertransibit in pace, ad pacem cunctos vocans, ut reconcilientur Deo. Semita in pedibus illius non apparebit, id est, viae laborem non sentiet, nec aliquam imbecillitatis humanae lassitudinem; sed de torrente bibet in via, et propterea levabit caput (Ps. CIX). Quis, inquit, haec operatus est et fecit? Quis suscitavit justum, sive justitiam? Quis ei gentes et reges tradidit? Quis gladio ejus et arcui universa subjecit? utique ille, qui ab initio mundi haec futura praedixit, qui omnium conditor est. Et quia dixerat sciscitantis affectu: Quis suscitavit ab Oriente justum, etc., cunctis tacentibus sibi ipse respondit: Ego sum Dominus, primus et novissimus ego

sum. Ipse est qui et in Apocalypsi Joannis loquitur: Ego sum alpha et ω, principium et finis (Apoc. I, 8; et XXII, 13). Viderunt insulae, id est, gentes, sive Ecclesiae de gentibus congregatae, quae mundi hujus sustinent tempestates; et timuerunt Dominum: Principium enim sapientiae timor Domini (Prov. IX, 10). Omnes terrarum termini ad Apostolorum verba tremuerunt, appropinquantes, et ad Christi Evangelium pariter accedentes. Cumque seipsos cernerent esse salvatos, id quod supra audierant: accedant, et tunc loquantur, opere compleverunt; ut auxiliarentur proximis suis, et fratres suos vellent in Domino confortare, et dicerent eis: Recedite ab idolis, simulacra daemonum antiqua contemnite, quae humana finxit manus, quae malleo cudente producta sunt, quae compacta glutino, quae stabilita clavis, ut non moveantur; et cum steterint, ambulare non valeant. Quae nos super persona Christi et vocatione gentium et praedicatione Evangelii atque idolorum condemnatione interpretati sumus, quidam ad Cyrum regem Persarum referunt, quod suscitaverit eum adversum Babylonios de Oriente, et parere suae fecerit jussioni, prosternens ei gentes plurimas, et gladio illius et arcui cuncta subjiciens: et caetera quae sequuntur ad ejus personam referunt, quod scilicet Babyloniis idola sua non profuerint, quae humano facta sunt studio, et arte aerarii suscitata. Nonnulli Hebraeorum de S. Abraham dictum putant, qui vocatus sit justus ab Oriente, id est, de Chaldaeis, eo quod solus justus inventus est; et secutus est eum, egrediens de patria sua in terram quam nesciebat, et tradiderit reges in manu ejus, qui adversum Sodomam et Gomorram venerant; et ante gladium ejus et arcum fecerit eos esse quasi stipulam et pulverem; persecutusque sit illos, et reversus in pace, et longi itineris cursum non senserit, et hoc non suis viribus, sed Domini fecerit misericordia, qui ab initio haec futura cognoverit. Viderunt, ait, insulae, id est, gentes in circuitu, et illius virtute perterritae sunt: et extrema terrae. Sem videlicet filius Noe, qui tempore extremo terrarum cum

patre et cum fratribus de Diluvio evaserat; et usque ad tempus illud fuerat reservatus (Genes. XIV): quem Melchisedec intelligi volunt, et venisse obviam S. Abraham de praelio revertenti, et accepisse, et benedixisse ei, et eum Dei benedictionibus corroborasse: ipsumque esse fabrum aerarium qui Abraham conflaverit, et malleo suae artis ad meliora produxerit: et dixisse ei, Bonum est, ut timore Domini glutineris et jungaris ei. Et confortavit eum, sive solidavit in clavis praeceptorum Domini, ut non moveretur, sed in timore illius permaneret.

## (Vers. 8 seqq.)

Et tu, Israel serve meus, Jacob quem elegi, semen Abraham amici mei. In quo apprehendi te ab extremis terrae, et a longinquis ejus vocavi te, et dixi tibi: Servus meus es tu: elegi te, et non abjeci te. Ne timeas, quia tecum sum ego: ne declines, quia ego Deus tuus, confortavi te, et auxiliatus sum tui tibi: et suscepit te dextera juxti mei. Ecce confundentur et erubescent omnes qui pugnant adversum te: erunt quasi non sint: et peribunt viri qui contradicunt tibi. Quaeres eos, et non invenies: viri rebelles tui erunt quasi non sint: et veluti consumptio homines bellantes adversum te. Quia ego Dominus Deus tuus apprehendi manum tuam, dicens tibi: Ne timeas, ego adjuvi te. Noli timere verbis Jacob, qui mortui estis ex Israel. Ego auxiliatus sum tui, dicit Dominus: et redemptor tuus Sanctus Israel. Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia. Triturabis montes et comminues; et colles quasi pulverem pones. Ventilabis eos, et ventus tollet, et turbo disperget eos: et tu exsultabis in Domino, in Sancto Israel laetaberis.

LXX: Tu autem Israel puer meus, Jacob, quem elegi, semen Abraham quem dilexi, quem assumpsi ab extremis terrae, et a summitatibus ejus vocavi te, et dixi tibi: Puer meus es: elegi te, et non dereliqui te. Noli timere, tecum enim sum ne erres; ego enim sum Deus tuus qui confortavi

te, et auxiliatus sum tui, et roboravi te dextera justa mea. Ecce confundentur, et erubescent omnes adversarii tui: erunt enim quasi non sint: et peribunt omnes inimici tui. Quaeres eos, et non invenies, homines qui insanient in te. Erunt enim quasi non sint, et non erunt pugnantes adversum te. Quia ego Dominus Deus tuus qui teneo dexteram tuam: qui dico tibi, ne timeas Jacob, parvule Israel. Ego auxiliatus sum tui, dicit Deus: qui redimo te Sanctus Israel. Ecce feci te quasi rotas plaustri triturantis novas in serrarum modum: et triturabis montes, et comminues colles: et ut pulverem pones et ventilabis, et ventus auferet eos, et tempestas disperget illos. Tu autem laetaberis in Domino et in Sanctis Israel. Jacob et Israel esse carnalem et esse spiritualem, Paulus Apostolus docet: Videte Israel secundum carnem (I Cor. X). Ex quo intelligimus esse et alterum juxta spiritum; et ad carnalem dici Israel: Si filii essetis Abraham, opera Abraham faceretis. Quibus et supra (Ad cap. XL, 27) dicitur: Quare dicis, Jacob, et loqueris, Israel: Abscondita est via mea a Domino: et a Deo meo judicium meum transivit? E contrario nunc ad spiritualem Deus loquitur Israel, qui Domini sui suscepit adventum, quem primum servum, dein electum, ad extremum semen Abraham vocat. Ante enim accepimus spiritum servitutis in timore (Rom. VIII); et postea electi, in amicitiam Dei jungimur. Post vocationem igitur gentium, quando viderunt insulae et timuerunt, extrema terrae obstupuerunt; appropinquaverunt et accesserunt, vocantur reliquiae, juxta electionem gratiae, de quibus scribit et Evangelium: Istos duodecim elegit Jesus, quos et Apostolos nominavit (Luc. VI), qui post servitutem paedagogae Legis, electi sunt in Evangelio; et semen Abraham amici Dei esse meruerunt. In illo enim apprehendit eos ab extremo terrae, et a longinquis ejus finibus vocavit Israel de universis nationibus, congregans primum populum Judaeorum, de quibus et Paulus Apostolus dicit: Vobis oportebat primum praedicari sermonem: quoniam autem avertitis nos, imus ad gentes (Act. XIII, 46). Tibi ergo, qui

et servus meus, et electus meus, qui praedicaturus in gentibus es, et persecutiones plurimas perpessurus, dico ne timeas, quia tecum sum, cui loquor in Evangelio: Ecce ego vobiscum sum omnes dies, usque ad consummationem saeculi (Matth. ult., 20). Non erres, neque a veritate declines, nec te falsa persuasione decipias, quod tuis viribus imperitus et nudus, silvam gentium penetres, et ferocissimas nationes ad mansuetudinem voces. Ego sum qui confortavi te, et auxiliatus tui sum; et suscepit te, sive protexit, dextera justi mei, id est, Domini Salvatoris, sive dextera mea, ut LXX transtulerunt. Ecce enim adversarii tui, populus Judaeorum et omnes qui pugnant adversum te, et persecutores tui vertentur in nihili, quaeresque adversarios tuos, et non invenies. Causaque redditur quare non inveniat adversarios suos: Quia erunt quasi non sint. Qui adversarii insanire dicuntur contra Apostolos, vel juxta Hebraicum, esse consumpti. Idcirco autem timere non debes, quia ego apprehendi manum tuam, qui dico tibi, Ne timeas: ego adjuvi te; noli timere vermis Jacob, qui mortui estis ex Israel, sive ut LXX, paucissimi ex Israel. Hoc quod posuimus, ego adjuvi te: noli timere vermis Jacob, in LXX non habetur. Vermis autem qui Hebraice dicitur, THOLATH, propter humilitatem atque contemptum vocatur Apostolorum chorus, imitans Salvatorem, qui loquitur in psalmo: Ego sum vermis, et non homo: opprobrium hominum, et abjectio plebis (Psal. XXI, 7). Sicut enim vermis terram penetrat: ita sermo apostolicus penetravit gentium civitates, et ingressus est prius corda durissima. Et recte pauci appellantur ex Israel, quia ad comparationem totius orbis, gentis Judaicae paucissimi crediderunt, quibus in Evangelio Dominus loquitur: Noli timere grex parvulus (Luc. XII, 32). Sive juxta Hebraicum, mortui ex Israel, qui cum Apostolo dicunt: Quotidie morior (II Cor. XV, 31). Et alibi: Cum Christo crucifixus sum. Vivo autem, non ego; vivit vero in me Christus (Galat. II, 20). Quodque sequitur: Ego posui te quasi plaustrum triturans novum, habens rostra serrantia, hoc significat, quod

praedicatio Evangelica conterat adversarias potestates, et spiritualem nequitiam elevantem se contra scientiam Dei: quae pro varietate superbiae montes appellantur et colles. Illisque sublatis, et turbinis more dispersis, exsultet Israel atque laetetur in Domino Sancto Israel. Possumus quoque dicere, quod ecclesiasticus vir habens evangelicae praedicationis rostra serrantia in plaustro novo, quod nequaquam operatur in vetustate litterae, sed in novitate spiritus, conterat incredulorum corda durissima: separans triticum a paleis, et montes collesque comminuens, id est, omnes haereticorum principes, qui comminuti atque contriti, redigantur in pulverem, et nihil esse doceantur, ut qui male fuerant congregati, dividantur in bonum suum.

## (Vers. 17 seqq.)

Egeni et pauperes quaerunt aquas, et non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos: Deus Israel non derelinquam illos. Aperiam in supinis collibus flumina: et in medio camporum fontes. Ponam desertum in stagnum aquarum et terram inviam in rivos aquarum. Dabo in solitudine cedrum et spinam, et myrtum, et lignum olivae. Ponam in deserto abietem, ulmum, et buxum simul: ut videant, et sciant, et recogitent, et intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, et Sanctus Israel creavit illud.

LXX: Et exsultabunt pauperes et inopes: quaerent enim aquam, et non erit: lingua eorum prae siti exaruit. Ego Dominus Deus exaudiam ipsos Deus Israel: et non derelinquam eos: sed aperiam in montibus flumina, et in medio camporum fontes: faciam desertum in paludes, et sitientem terram in aquaeductus. Ponam in terram absque aqua cedrum, et buxum, et myrtum, et cyparissum, et populum: ut videant, et sciant, et cogitent, et noverint simul quia manus Domini fecit haec, et Sanctus Israel ostendit. Gentium populus pauper et

tenuis, qui non habebat scientiam veritatis, quaerit per diversos magistros, et varia Philosophorum dogmata aquas salubres: et non invenit, quia non sunt; lingua eorum siti aruit, sine Lege ac Prophetis. Omnem enim juxta Evangelii fidem, substantiam suam in medicos comsumpserat (Luc. VIII); et a cruore idololatriae, et sanguine victimarum non poterat liberari. Propterea Dominus Deus Israel non eos penitus dereliquit, nec in aeternum perire passus est; sed aperuit in supinis collibus, sive in montibus flumina, et in medio camporum fontes. Quae flumina ex illo fluvio duxere principium, qui in Psalmis legitur: Fluminis impetus laetificat civitatem Dei (Ps. XLV, 4). Et in alio loco: Fluvius Dei repletus est aquis. Quae aquae et fontes de illo fonte manarunt, qui per Jeremiam loquitur: Me dereliquerunt fontem aquae vivae (Jerem. II, 13). Et supra in hoc eodem Propheta dicitur: Bibent aquas de fontibus Salvatoris. De quibus et in Psalmis canitur: Benedicite Dominum Deum de fontibus Israel (Ps. LXVII, 27). Et posuit, inquit, desertum in stagnum aquarum, et terram inviam in rivos aquarum. De quibus aquis et Salvator in Evangelio mystico sermone dicebat (Joan. IV, 13, 14): Qui biberit de aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum: sed aqua quam ego dedero ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Et iterum: Si quis sitit, veniat ad me et bibat. Qui biberit de aqua quam ego dabo ei, flumina de ventre ejus fluent aquae vivae (Idem. VII, 37, 38, 39). Hoc autem, inquit Evangelista, dicebat de Spiritu Sancto, quem credentes in eo accepturi erant. Quia igitur deserta quondam Ecclesiae multitudo, aquis vitalibus fuerat irrigata, propterea juxta LXX nascuntur in ea cedrus, et buxus, et myrtus, et cyparissus, et populus: juxta Hebraicum, et caeteros Interpretes, cedrus, setta, et myrtus, et lignum olivae, et abies, et ulmus et buxus simul. Quae varietates arborum, diversitatem significant gratiae spiritualis. Et quia omnibus natura earum nota est, de SETTA tantum Hebraico edisseramus, quam spinam Theodotio transtulit. Est autem genus arboris nascentis in

eremo, spinae albae habens similitudinem; unde omnia ligna arcae, et tabernaculi facta sunt instrumenta, quae appellantur Settim (Exod. XXXVII): quod lignum imputribile et levissimum, omnium lignorum, tam in fortitudine quam in nitore, soliditatem superat et pulchritudinem. Cedrus autem et cyparissus, et myrtus, odoris optimi sunt, et imputribiles. Ulmus quoque et populus, sive buxus, vel maritandis vitibus junguntur, vel ad diversa opera aptissimae sunt. Haec autem omnia pariter ponuntur in solitudine, ne saltem una chorda de cithara Domini, et aliqua virtus gratiarum Ecclesiae deesse videatur. Ut omnes intelligant, et pariter mente cognoscant, quia manus Domini haec universa perfecerit, ut in ariditate gentium invenirentur fluenta virtutum, et in terra quondam deserta plenaque salsuginis, cedrus et cyparissus, et aliae arbores nascerentur, quarum sublimitatem et verticem ad coelestia festinantem, illuminaret lignum olivae, quod nutrimentum lucis est, et laborantium requies.

## (Vers. 21 seqq.)

Prope facite judicium vestrum, dicit Dominus: afferte si quid forte habetis, dixit rex Jacob. Accedant, et nuntient nobis quaecumque ventura sunt: priora quae fuerunt, nuntiate: et ponemus cor nostrum, et sciemus novissima eorum: et quae ventura sunt, indicate nobis. Annuntiate quae ventura sunt in futurum: et sciemus quia dii estis vos. Bene quoque aut male si potestis, facite, et loquamur, et videamus simul. Ecce vos estis ex nihilo: et opus vestrum ex eo quod non est: abominatio est qui elegit vos.

LXX: Juxta est judicium vestrum, dicit Dominus Deus: venerunt et appropinquaverunt consilia vestra, dicit rex Jacob. Appropinquent et annuntient nobis quae ventura sunt: aut priora quae erant dicite: et apponemus sensum: et sciemus quae sunt novissima. Ventura quoque dicite

nobis, et annuntiate quae ventura sunt in novissimo: et sciemus quoniam dii estis. Bene facite et male, et admirabimur: et videbimus simul unde sitis vos, et unde sit opus vestrum: de terra abominationum elegerunt vos. Quomodo supra diximus, duplicem esse Jacob et Israel, non credentium atque credentium in Dominum Salvatorem: ita vocatis gentibus, et in deserto quondam Ecclesiae erumpentibus fluviis fontibusque, et mirum in modum comante varietate arborum, cunctis ubertate plenissimis, qui in Christum ex gentibus credere noluerunt, provocantur ad judicium, ut respondeant cur videre, et scire et recogitare, et intelligere noluerint, quia manus Domini ista fecerit, et Sanctus Israel creaverit universa. Accedant, inquit, idola vestra, quae putatis esse fortissima. Vel afferte, si quid forte habetis in vobis; et vestra aperite consilia, qua ratione, quo sensu nolueritis apertam suscipere veritatem. Simulque fit apostropha ad ipsa idola, quae insensibilia sunt, et nec audiendi, nec respondendi possident facultatem. Dicite, inquit, nobis vel praeterita, vel futura, et ex rerum eventibus vestram potentiam demonstrate. Hoc autem significat, quod post adventum Christi omnia idola conticuerint: ubi Apollo Delphicus, et Loxias, Deliusque, et Clarius, et caetera idola, futurorum scientiam pollicentia, quae reges potentissimos deceperunt? Cur de Christo nihil potuere praedicere; nihil de Apostolis ejus; nihil de ruinis et abolitione templorum? Si ergo suum interitum non potuere praedicere, quomodo aliena, vel mala, vel bona potuerunt nuntiare? Quod si aliquis dixerit, multa ab idolis esse praedicta, hoc sciendum quod semper mendacium junxerint veritati, et sic sententias temperarint, ut seu boni seu mali quid accidisset, utrumque posset intelligi. Ut est illud Pyrrhi regis Epirotarum:

Aio te, Aeacida, Romanos vincere posse.
Et Croesi: Craesus transgressus Halym maxima regna perdet.

Aliud quoque signum est, idola deos non esse, quod nec bene possint facere, nec male. Non quo idola, vel daemones assidentes idolis, mala saepe non fecerint; sed quo nisi concessa eis fuerit potestas a Domino, hoc facere non possint. Denique in Evangelio deprecantur, ut habeant potestatem in porcorum gregem (Matth. VIII). Et in Job legimus, absque Domini jussione eum (Diabolum) viri sancti ne jumenta quidem et possessiones valuisse disperdere (Job. I). Nec mirum hoc de Deo, cum etiam Apostolus Paulus tradat quosdam Satanae, ut discant non blasphemare (I Tim. I). Sive hoc dicendum, quod muta simulacra hominum et insensibilia, nec bene possint facere, nec male, nec praeterita nosse, nec futura, quia ex nihilo sint, et ex eo quod non est, et non tam ipsa, quam ille qui ea colat, abominatione condignus sit. Idola enim gentium, argentum et aurum, opera manuum hominum. Os habent, et non loquentur (Ps. CXIII, 13). Quomodo ergo possunt scire et nuntiare ventura, aut narrare praeterita, et bene facere, vel male, quae nec hominum sensum habent, nec brutorum animantium? Nec interest, de qua materia facta videantur, cum universa terrena sint.

## (Vers. 25 seq.)

Suscitavit ab Aquilone, et veniet ab ortu solis: vocabit nomen meum, et adducet magistratus quasi lutum: et velut figulus conculcans humum. Quis annuntiavit ab exordio, ut siamus: et a principio, ut dicamus: Justus es. Non est neque annuntians, neque praedicens, neque audiens sermones vestros. Primus ad Sion dicet: Ecce adsunt, et Jerusalem evangelistam dabo. Et vidi, et non erat neque ex istis quisquam qui iniret consilium: et interrogatus responderet verbum. Ecce omnes injusti, et vana opera eorum: ventus et inania simulacra eorum.

LXX: Ego autem suscitavi eum qui ab Aquilone est, et qui ab ortu solis: vocabuntur nomine meo. Veniant principes et sicut lutum figuli: et sicut figulus conculcans lutum, sic conculcabimini. Quis enim annuntiabit vobis ea quae a principio sunt, ut cognoscamus ea quae in futuro: et dicemus quia verum sit: non est qui praedicat, neque qui audiat verba vestra. Principium Sion dabo: et Jerusalem consolabor in via: nam de gentibus nullus est, et de simulacris ipsorum non erat qui annuntiaret: et si interrogavero eos, unde estis, non respondebunt mihi: sunt enim factores vestri, et frustra seducunt vos. Adhuc contra idola loquitur, et eos qui post adventum Christi, ea relinquere noluerunt. Illisque permanentibus in errore, ipse ab Aquilone suscitasse se dicit populum nationum. Ab Aquilone enim exardescent mala super omnes habitatores terrae. Et ad Jeremiam dicitur: Quid tu vides, Jeremia? Et ille respondit: Ollam succensam: et faciem ejus a facie Aquilonis (Jer. I, 13). Suscitantur autem ab Aquilone, ut credant in eum qui venerit ab ortu solis. De quo supra legimus: Quis suscitavit ab Oriente justum, sive justitiam? Et in alio loco: Ecce vir Oriens nomen ejus (Zach. VI, 12). Qui vocabit eos nomine meo, ut derelictis simulacris, unum colant Deum. Ipse enim loquitur in Evangelio: Ego veni in nomine Patris mei, et non suscepistis me: alius veniet in nomine suo, et suscipietis eum (Joan. V, 43). Ipse principes et magistratus, et omnem mundi superbiam conculcabit, et subjicientur ei quasi lutum figulo, ut faciat ex eis aliud vas in honorem, aliud in contumeliam (Rom. IX). Haec quae ego juxta consuetudinem prophetalem fecisse me dico, quasi jam praeterita sint, vel juxta Symmachum, futura polliceor, nullus daemonum et idolorum potest praedicere. Unde oracula cuncta tacuerunt, quia nemo est qui annuntiet, nemo qui audiat, dum bruta prius corda gentilium intellexerunt errorem suum, et falsa vaticinia reliquerunt. Primusque Dominus loquetur ad Sion, id est, ad Ecclesiam suam et dicet ei: Ecce adsunt filii tui, quos tibi per meam donavi fidem. Significat autem Apostolos, qui in toto orbe

Evangelium praedicarunt. Sion et Jerusalem nominibus differunt; caeterum ut una urbs, sic et una Ecclesia est. Omnes igitur gentes, quae idolorum sequuntur errorem, interrogentur a nobis, ut respondeant unde sint. Et haec erit universarum responsio, quod omnes vanitatem sequantur et ventos, et adorent opera manuum suarum. Quidquid de idolis et gentibus diximus, referamus ad dogmata pravitatis; et ad principes eorum haeresiarchas, quod Christo pacem Ecclesiae nuntiante, et monstrante eis veritatis viam, ipsi sequantur errorem; et vento ac turbini comparentur. Hebraei, suscitatum ab Aquilone, et venire ab ortu solis, Assyrium interpretantur et Persam, qui venerint Jerusalem, et omnes principes illius conculcaverint; nullumque idolorum quae colebant, hoc scierit esse venturum, nisi solus Dominus, qui ultus est eos pro peccatis suis.

## (Cap. XLII.---Vers. 1 seq.)

Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum: judicium gentibus proferet. Non clamabit, neque accipiet personam: nec audietur foris vox ejus. Calamum quassatum non conteret: et linum fumigans non exstinguet: in veritate educet judicium. Non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra judicium: et legem ejus insulae exspectabunt.

LXX: Jacob puer meus, assumam eum: Israel electus meus, suscepit eum anima mea. Dedi spiritum meum super eum: judicium gentibus educet: non clamabit, neque dimittet: nec audietur foris vox ejus. Calamum fractum non conteret, et linum fumigans non exstinguet: sed in veritate educet judicium: splendebit, et non contereturm, donec ponat super terram judicium: et in nomine ejus gentes sperabunt. Jacob et Israel in praesenti capitulo non habentur, quod nec Matthaeus Evangelista posuit, secutus Hebraicam veritatem. Hoc

dicimus in suggillationem eorum, qui nostra contemnunt. De quo plenius in Matthaei Commentariolis, et in libro quem ad Algasiam nuper scripsimus, disputatum est. Et interim notandum, quod ubi de Apostolorum scribitur choro, et Jacob et Israel, et semen appellantur Abraham: quibus quasi hominibus ac servis consequenter dicitur: Noli timere vermis Jacob, et parvulus numero Israel. Ubi autem de Christo est vaticinium, absque Jacob et Israel legitur: Ecce servus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Et in consequentibus: Dedi te in testamentum generis, in lucem nationum: aperire oculos caecorum, et educere de vinculis alligatos, et de domo carceris habitantes in tenebris. Nec mirum si servus vocetur, factus ex muliere, factusque sub lege (Galat. IV; qui cum in forma Dei esset, humiliavit se, formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo (Philipp. II). In quo complacuit sibi anima Dei, cernens in illo omnes esse virtutes: immo ipsum esse Dei virtutem atque sapientiam. Dedi, inquit, spiritum meum super eum: qui descendit in specie columbae. Judicium gentibus proferet, quod antea nesciebant. Non clamabit: erit enim mitis atque mansuetus; et non accipiet personam in judicio, sive non levabit, subauditur, in altum vocem suam. Vel juxta Symmachum, non decipietur; omnes insidias diaboli intelligens: aut, secundum LXX, non relinquet, populum scilicet Judaeorum: vocans eum ad poenitentiam. Nec audietur foris vox ejus, neque enim extra Galilaeam atque Judaeam in aliis gentibus Evangelium praedicavit. Quod si legimus fuisse eum in terminis Tyri et Sidonis (Matt. XV), sive in confinio Caesareae Philippi, quae nunc vocatur Paneas: tamen sciendum non esse scriptum, quod ipsas ingressus sit civitates. Calamum quassatum, sive confractum non conteret. Cunctis enim placabilis erit, et veniam dabit peccatoribus, dicens ad mulierem: Confide, filia, dimittuntur tibi peccata (Luc. VII, 48). Et linum fumigans, sive ut caeteri transtulerunt, obscurum atque tenebrosum, non exstinguet: qui vicini erant exstinctioni, Domini

clementia servabantur (quae super Judaeis et nationibus in supradictis opusculis disseruimus); sed cum veritate omnia judicabit; nequaquam metuens Scribas et Pharisaeos, quos confidenter hypocritas appellabat (Mat. VII, XV, XXII, XXIII per totum, et Luc. VI, XII): Quod autem sequitur: Splendebit, et non conteretur, donec ponat super terram judicium, Matthaeus Evangelista non posuit (Mat. XII): sive inter judicium et judicium media, scriptoris errore, sublata sunt. Significat autem quod resurgens ex mortuis, cunctos illuminaverit, nec morte contritus sit, donec poneret super terram judicium: qui loquebatur in Evangelio: In judicium ego veni in mundum istum: ut non videntes videant, et videntes caeci fiant (Joan. IX, 39). Pro quo nos interpretati sumus: Non erit tristis, neque turbulentus; sed aequalitatem vultus omni tempore conservabit: quod falso de Socrate Philosophi gloriantur, nunquam eum, plus solito, nec tristem fuisse, nec laetum. Pro quo Aquila et Theodotio interpretati sunt: Non obscurabit, et non curret, donec ponat in terra judicium. Et est sensus: nullum vultus tristitia deterrebit, nec festinabit ad poenam, qui judicii veritatem ultimo tempori reservavit. Quodque sequitur: et legem illius insulae exspectabunt, manifestius posuere LXX in nomine ejus gentes sperabunt: quae in Scripturis appellantur insulae, quia ex omni parte persecutorum incursionibus patent. Legem autem ejus, non quae per Moysen data est, sed Evangelium sentiamus: De Sion enim egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem (Supra, II). De qua lege et Jeremias vaticinatur: Ecce dies veniunt, dicit Dominus: et ponam testamentum novum, non juxta testamentum, quod olim pepigi cum patribus eorum (Jerem. XXXI, 31, 32).

## (Vers. 5, 6 seq.)

Haec dicit Dominus Deus: Creans coelos, et extendens eos: firmans terram, et quae germinantur ex ea: dans flatum populo qui est super eam, et spiritum calcantibus illam. Ego Dominus vocavi te in justitia, et

apprehendi manum tuam, et servavi te: et dedi te in foedus populi, in lucem gentium. Ut aperires oculos caecorum, et educeres de conclusione vinctum, de domo carceris sedentes in tenebris. Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meam alteri non dabo, et laudem meam sculptilibus. Quae prima fuerant, ecce venerunt, nova quoque ego annuntio: antequam oriantur, audita vobis faciam: Incertum erat quis ante dixisset: Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum: judicium gentibus proferet. Post condemnationem enim idolorum subitus sermo proruperat. Ecce servus meus, et reliqua, quae nos ex persona Patris super Christo interpretati sumus. Itaque ne relinqueret ambiguum, quis superiora dixisset, adjungit et dicit: Haec dicit Dominus Deus, creans coelos, et extendens eos. Sive ut LXX transtulerunt: Qui fecit coelum, et defixit illud. Universitatis igitur Creator et Dominus, ipse Christi sui promisit adventum, qui non solum extendit coelos atque defixit; sed terram quoque alta mole firmavit, et omnia quae nascuntur ex ea: ut et invisibilia ejus ex his quae facta sunt, intellecta conspiciantur (Rom. I); sempiterna quoque virtus illius et divinitas. Qui spiramen omnibus dedit qui versantur in terra, lege prima mortalium. Insufflavit enim Deus in faciem Adam, spiritum vitae, et factus est in animam viventem (Genes. II). Spiritum autem his proprie qui calcant terram; et sapientiam carnis, suae subjiciunt potestati. Ille igitur cujus tanta praeconia sunt, haec ad eum locutus est, cujus legem insulae praestolantur et gentes: Ego Dominus vocavi te in justitia: de quo ipse loquitur in Evangelio, Pater juste, mundus te ignorat (Joan. XVII, 25); ut esset non solum Judaeorum, sed et gentium Deus. Et apprehendi manum tuam, quia quidquid operatur Filius, operatur Pater. Et servavi te, qui omnia ipse conservas. Et dedi te in foedus populi Israel, cui te venturum ante promiseram. Et in lucem gentium, quae sedebant in tenebris et in umbra mortis, ut aperires oculos caecorum qui Deum antea non videbant. Et

educeres de conclusione vinctos (Prov. V); funibus enim peccatorum suorum unusquisque constringitur. Et in Evangelio quem Satanas vinxerat, solvit Dominus (Mat. VIII). De domo carceris sedentes in tenebris, qui in erroris nocte et caligine versabantur. Quodque infert: Ego Dominus, hoc est nomen meum; gloriam meum alteri non dabo, non excludit Filium, cui dicenti in Evangelio: Pater, glorifica me gloria quam apud te habui priusquam mundus esset (Joan. XVII, 5), ipse respondit; Et glorificavi, et glorificabo. Neque enim dixit: Gloriam meam nulli dabo, quod si dixisset, exclusisset et Filium, sed gloriam meam alteri non dabo, praeter te, cui dedi, cui daturus sum. Unde proprietatem sanctae Scripturae vehementer admiror, quod verbum AHER omnes Interpretes voce consona transtulerunt, alterum, qui in multis aliis soliti sunt discrepare. Ut autem sciamus per hanc sententiam non excludi Filium, sed idola, sequentia verba testantur: Et laudem meam sculptilibus. Pro quo LXX: nec virtutes meas simulacris. Cum enim Christus Dei virtus sit, Deique sapientia, omnes in se virtutes continet Patris. Sequitur, Quae prima fuerunt, ecce venerunt. Et est sensus: Quae locutus sum, quae per Moysen, Prophetasque pollicitus sum, universa completa sunt. Nunc autem annuntio vobis Evangelium, vocationem gentium, passionem Christi, novitatem fidei: ut quomodo priora cernitis rebus expleta, sic et ea quae nunc polliceor, credatis esse ventura.

## (Vers. 10, 11 seq.)

Canite Domino canticum novum: laus ejus ab extremis terrae: qui descenditis in mare, et plenitudo ejus; insulae et habitatores earum. Sublevetur desertum et civitates ejus: in domibus habitabit Cedar, laudate habitatores Petrae, de vertice montium clamabunt. Ponent Domino gloriam, et laudem ejus in insulis nuntiabunt. Dominus sicut fortis egredietur, sicut vir praeliator suscitabit zelum: vociferabitur et clamabit: super inimicos suos confortabitur. Tacui semper, silui,

patiens fui: sicut parturiens loquar: dissipabo et absorbebo simul. Desertos faciam montes et colles, et omne gramen eorum exsiccabo, et ponam flumina in insulas, et stagna arefaciam. Ducam caecos in viam quam nesciunt, et in semitis quas ignoraverunt ambulare eos faciam. Ponam tenebras coram eis in lucem, et prava in recta: haec verba feci eis, et non dereliqui eos. Conversi sunt retrorsum: confundantur confusione, qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili: vos dii nostri.

LXX: Cantate Domino canticum novum: principatus ejus glorificatur, et nomen illius a summitate terrae: qui descendunt in mare et navigant illud, insulae et habitatores earum: laetare desertum et vici ejus: villae et habitatores Cedar. Laetabuntur qui habitant in Petra: de summitate montium clamabunt. Dabunt Deo gloriam, virtutes ejus in insulis nuntiabunt. Dominus Deus virtutum egredietur et conteret bellum, suscitabit zelum, et clamabit super inimicos suos cum fortitudine. Tacui a principio, num semper tacebo et sustinebo? sicut pariens patienter egi, erumpam et arefaciam simul, vastabo montes et colles, et omne fenum eorum arefaciam. Et ponam flumina in insulas, et paludes siccabo. Et adducam caecos per viam quam nesciunt, et semitas quas ignoraverunt, calcare eos faciam; faciam eis tenebras in lucem, et prava in recta. Haec verba faciam illis, et non derelinquam eos, ipsi vero conversi sunt retrorsum; confundamini confusione, qui confiditis super sculptilibus, qui dicitis conflatis, vos estis dii nostri. Qui prius dixerat: quae prima fuerant, ecce venerunt; nova quoque ego annuntio: antequam oriantur, audita faciam vobis; et se promiserat, quod ignorabant esse dicturum: quae sint illa nova, sequenti sermone testatur, Apostolis praecipiens, et Apostolicis viris, ut canant canticum novum, nequaquam in vetustate litterae; sed in novitate spiritus. Nec solum in veteri Instrumento, sed in novo; et laus ejus penetret usque ad extrema terrae. A summo enim coelo egressus ejus et usque ad summum illius occursus ejus (Psal. XVIII).

In omnem terram exiit Apostolorum sonus, et in terminos orbis verba eorum. Sive juxta LXX: Glorificate nomen ejus in terminis terrae: ut in universo mundo Christi nomen annuntietur gentibus. Qui sint autem isti qui canere debeant canticum novum, sequentia verba testantur: Qui descendiis, inquit, in mare, et navigatis illud, sive plenitudo maris. Apostolos enim videns Jesus in littore juxta mare Genezaret reficientes retia sua, vocavit et misit in magnum mare (Luc. V); ut de piscatoribus piscium faceret hominum piscatores, qui de Jerusalem usque ad Illyricum et Hispanias Evangelium praedicarunt: capientes in brevi tempore ipsam quoque Romanae urbis potentiam. Vel certe descenderunt in mare et navigaverunt illud; tempestates et persecutiones istius saeculi sustinentes. Insulas quoque et habitatores earum, vel diversitatem gentium intellige, vel Ecclesiarum multitudinem. Levet, inquit, desertum et civitates ejus vocem suam, de qua et supra diximus. Sive laetetur desertum et vici ejus, et Cedar, quae quondam inhabitabilis fuit regio trans Arabiam Saracenorum. Et habitatores Petrae, quae et ipsa urbs Palaestinae est. Hoc autem significat, quod gentium populus desertus prius notitia Dei, et idololatriae erroribus obligatus, ad laudes Domini convertatur. Sive quia Cedar interpretatur tenebrae, et juxta Apostolum (I Cor. X) petra Christus, praecipitur cunctis credentibus, ut qui ante erant in tenebris, et nunc credunt in Dominum Salvatorem, de vertice montium clamitent, et aperte praedicent Christum, quibus et supra (Ad cap. XL, 9) dictum est: In montem excelsum ascende, qui evangelizas Sion. Eleva in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jerusalem. Et ponam gloriam ejus in insulis, de quibus prius diximus. Describitque sermo propheticus gloriosum Salvatoris adventum, de quo et Paulos Apostolus loquitur: Secundum illuminationem gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi (II Cor. IV; II Tim. I, 10); et eum viro fortissimo comparat, qui pugnaturus sit contra adversarios suos, suscitaturus zelum. De quo et in Cantico Deuteronomii

prophetatum est: Ipsi me zelare fecerunt in eo qui non erat Deus, et irritaverunt me in idolis suis; et ego zelare eos faciam in gente quae non est, et in gente stultissima irritabo illos (Deut. XXXII, 21). Vociferabitur quoque et clamabit contra inimicos suos, aperte eorum infidelitatem reprobans, et cum clamore pronuntians: Tacui, semper silui, patiens fui, sive ut LXX transtulerunt: Tacui, numquid semper tacebo (Eccles. III, 7)? Ut impleatur illud quod per Salomonem dicitur: Tempus tacendi, et tempus loquendi. Et est sensus: Diu vos delinquentes saepe portavi; sed quia ante tacueram, nequaquam ultra reticebo. Et quomodo pariens in lucem profundit infantem, et apertum facit esse quod prius clausum in visceribus tenebatur: sic ego dolorem meum et dissimulationem quam semper habui super sceleribus vestris, nunc proferam, et dissipabo vestra consilia: unoque tempore absorbebo universam gentem, et omnem superbiam montium tumoremque collium vestrorum. Et fenum, de quo supra dictum est: Vere fenum est populus, id est, tam principes quam vulgus ignobile, in desertum redigam. Quod in LXX de Theodotionis editione additum est, qui haec verba tacuerat (Vide supra, cap. IV, 7). Cumque vos a capite usque ad pedes exsiccavero atque delevero, tunc flumina doctrinae meae in insulis gentium currere faciam, et stagna vestra sive paludes redigam in ariditatem, ut in gentibus sit scientia Scripturarum, et in vobis doctrinae ariditas. Ducamque caecos per viam, quam ante nesciebant, de quibus et supra legimus: Dedi te in foedus populi, in lucem gentium, ut aperires oculos caecorum. Hi ducentur per viam de qua Christus loquitur. Ego sum via, sive via scientiae Dei, et per semitas prophetales ambulare eos faciam. Tunc tenebrae eorum mutabuntur in lucem, et prava vertentur in recta, ut intelligant quae legunt, et cordis oculis clarum in veteri Testamento Christi lumen aspiciant. Simulque infert: Haec verba quae feci, sive faciam eis, nequaquam ultra futura promittens; sed quae ante promiseram, reddens. Me autem ista dicente, conversus est retrorsum populus Judaeorum, ut non

crederet promittenti, et in suis confunderetur erroribus, et negligeret sponsionem Dei, qui idolis ante crediderat. Sive cum intraverit plenitudo gentium, tunc etiam Israel populus convertetur (Rom. II), et poenitebit eum erroris sui, per quem idolis ante servierat. Aut certe post vocationem gentium revertetur ad principium: ut dicat, omnes gentes, quae Evangelio credere noluerunt, in suis idolis confundendas.

## (Vers. 18, 19 seqq.)

Surdi, audite, et caeci, intuemini ad videndum. Quis caecus, nisi servus meus? et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? Quis caecus, nisi qui venundatus est? et quis caecus, nisi servus Domini? Qui vides multa, nonne custodies? qui apertas habes aures, nonne audies? Et Dominus voluit ut sanctificaret eum, et magnificaret legem, et extolleret. Ipse autem populus direptus atque vastatus: laqueus juvenum omnes, et in domibus carcerum absconditi sunt: facti sunt in rapinam, nec est qui eruat: in direptionem, et non est qui dicat: Redde. Quis est in vobis qui audiat hoc, attendat et auscultet futura? Quis dedit in direptionem Jacob, et Israel vastantibus? Nonne Dominus ipse, cui peccavimus? Et noluerunt in viis ejus ambulare, et non audierunt legem ejus. Et effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum: et combussit eum in circuitu, et non cognovit: et succendit eum, et non intellexit. LXX: Surdi, audite, et caeci, suspicite, ut videatis. Quis est caecus, nisi pueri mei: et surdi, nisi qui dominantur eorum? Quis caecus nisi qui recepit: et excaecati sunt servi Dei. Vidistis saepe, et non custodistis: apertae sunt aures, et non audistis. Dominus Deus voluit ut justificaretur, et magnificaret laudem. Et vidi, et erat populus vastatus atque direptus. Laqueus enim in cubilibus ubique, et in domibus simul, in quibus absconderunt eos. Facti sunt in direptionem: et non erat qui erueret praedam: et non erat qui diceret: Redde. Quis est in vobis qui haec audiat, et futura cognoscat? Quis

dedit in direptionem Jacob, et Israel vastantibus? Nonne Deus, cui peccaverunt? et noluistis in viis illius ambulare, neque audire legem ejus. Et induxit super eos iram furoris sui: et praevaluit adversus eos bellum, et qui comburebant eos per circuitum: et non cognovit unusquisque, nec posuerunt super animam. Ne quis putaret hoc quod dicitur: Surdi, audite, et caeci, intuemini ad videndum, ad gentium populum pertinere, qui prius surdus et caecus fuerat (ut Judaei stulta interpretatione approbare contendunt), ipse propheticus sermo demonstrat, qui surdi et caeci intelligi debeant. Quis, inquit, caecus, nisi servus meus: et surdus, nisi ad quem nuntios meos misi? haud dubium quin Prophetas significet. Quis caecus, nisi qui venundatus est peccatis suis? Quis caecus, nisi qui prius servus fuit Domini? Cui dicitur: O Israel qui vides multa, et habes Prophetas plurimos, per quos Dei mandata cognoscas, nonne custodies quae tibi praecepta sunt? Qui apertas habes aures, nonne audies quae dicuntur, de quo et supra legimus: Auditu audietis, et non intelligetis: et videntes aspicietis, et non videbitis: incrassatum est enim cor populi hujus (Isa. VI, 9). Dominus, inquit, voluit ut sanctificaret eum, et magnificaret Legem suam, et populum jacentem extolleret ac levaret. Sed ille Dei facere noluit voluntatem: et idcirco ab adversariis suis direptus est atque vastatus, quos vel daemones, vel hostes intelligere debemus. Laqueus juvenum omnes, et in domibus carcerum absconditi sunt. Sive ut LXX transtulerunt, Laqueus in cubilibus ubique: et in domibus simul, in quibus absconderunt eos: Scribas significans et Pharisaeos, qui plebem miserabilem deceperunt, et ubique posuerunt insidias contra Dominum Salvatorem et Apostolos ejus (Luc. XI): habentes clavem scientiae, nec ipsi intrantes, et alios volentes introire prohibentes. Pulchreque pectora eorum in quibus habitabant cogitationes pessimae, carceres appellavit. Ideo facti sunt in rapinam, et in direptionem: nec fuit qui liberaret eos, et pro eis sermonem faceret. Simulque Propheta

cohortatur eos, ut si omnes audire non possint, saltem pauci futura cognoscant et intelligant, a quo ista perpessi sint. Causasque suae vastitatis agnoscant, qui nec audire nec facere voluerunt quae Lege praecepta sunt. Ideo effudit Dominus super eos totam iram suam et indignationem furoris plenam, ut qui prius tacuerat, nequaquam ultra reticeret, nec sermonibus eos, sed poenis tormentisque corriperet, et comprehenderet eos bellum fortissimum, quod nequaquam possint evadere, ostendens ferociam Romanorum. Cumque ex omni parte combustus sit, et nihil in se habeat sanitatis, tamen non intelligit causam poenae suae quod idcirco punitus sit, quia Dei Filium non receperit.

## (Cap. XLIII.---Vers. 1 seqq.)

Et nunc haec dicit Dominus creans te, Jacob, et formans te, Israel: Noli timere, quia redemi te, et vocavi te nomine tuo: meus es tu. Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te. Cum ambulaveris in ignem, non combureris, et flamma non ardebit in te: quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Israel Salvator tuus, dedi propitiationem tuam Aegyptum, Aethiopiam, et Saba pro te. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis et gloriosus: ego dilexi te, et dabo homines pro te, et populos pro anima tua. Noli timere, quoniam tecum ego sum: ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da: et Austro, noli prohibere: adduc filios meos de longinquo, et filias meas ab extremo terrae. Et omnem qui invocat nomen meum, in gloriam meam creavi eum, et formavi eum, et feci eum. Educ foras populum caecum, et oculos habentem: surdum, et aures ei sunt. Omnes gentes congregatae sunt simul, et collectae sunt tribus. Quis in vobis annuntiabit istud, et quae prima sunt, audire nos faciet? dent testes eorum, et justificentur: et audiant, et dicant: Vere vos testes mei, dicit Dominus, et servus meus quem elegi, ut sciatis et credatis mihi, et intelligatis, quia ego ipse sum. Ante me

non est formatus Deus: et post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, et non est absque me salvator. Ego annuntiavi, et salvavi: auditum feci, et non fuit in vobis alienus. Vos testes mei, dicit Dominus, et ego Deus, et ab initio ego ipse, et non est qui de manu mea eruat: operabor, et quis avertet illud?

LXX; Et nunc sic dicit Dominus qui fecit te, Jacob, et creavit te, Israel, Noli timere, quoniam redemi te: vocavi te nomine tuo, meus es tu: et si transieris per aquam, tecum sum, et flumina non cooperient te. Et si transieris per ignem, non combureris: flamma non exuret te: quia ego Dominus Deus tuus Sanctus Israel, salvator tuus. Feci commutationem tuam Aegyptum, et Aethiopiam, et Syenen pro te. Ex quo honorabilis factus es, et in conspectu meo glorificatus es: et ego dilexi te, et dabo homines pro te, et principes pro capite tuo. Noli timere, quoniam tecum sum: ab Oriente adducam semen tuum, et ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, adduc: et Africo, noli prohibere: adduc filios meos de terra longinqua, et filias meas a terminis terrae, omnes qui vocantur nomine meo: in gloria enim mea creavi illum, et plasmavi eum, et feci illum: et eduxi populum caecum, qui habent oculos, et sunt caeci, et surdae sunt aures ejus. Omnes gentes congregatae sunt simul, et convenerunt principes earum. Quis annuntiabit haec? aut quae a principio sunt, quis annuntiabit vobis? adducant testes suos, et justificentur, et audiant et loquantur vera. Estote mihi testes, et ego testis, dicit Dominus Deus, et puer meus quem elegi, ut sciatis et credatis et intelligatis, quia ego sum: Ante me non fuit alius Deus et post me non erit. Ego Deus, et non est praeter me Salvator. Ego annuntiavi, et salvos feci: exprobravi et non erat in vobis alienus. Vos mei testes, et ego Dominus Deus ab initio, et non est qui de manibus meis eruat. Faciam, et quis avertet illud? Hebraei de secundo Salvatoris haec interpretantur adventu, quando post plenitudinem gentium omnis salvandus sit Israel. Nos autem nequaquam putamus ad

eos fieri repromissionem, quibus supra dictum est: Quis caecus, nisi pueri mei, et qui surdi, nisi qui dominantur eorum? et excaecati sunt servi Dei. Et rursum: Factus est populus vastatus atque direptus, et his similia. Denique infert: Effudit super eum indignationem furoris sui, et forte bellum: et combussit eum in circuitu, et non cognovit, et succendit eum, et non intellexit. Ergo quod supra diximus, duos esse Jacob, et duos Israel, unum carnalem, et alterum spiritualem, eorum qui in Salvatorem credere noluerunt, et eorum qui receperunt Filium Dei: hoc etiam nunc intelligendum, quod provocetur Apostolorum chorus, et prima Christi Ecclesia de Judaeorum populo congregata, ut intelligat Creatorem et factorem suum, qui et animae et corporis ejus sit conditor. Nec timeat persecutores quia redemptus sit Christi sanguine, qui vocaverit eum nomine suo: et ob familiaritatem specialiter appellet populum suum; sed praedicet incunctanter, et nulla pericula reformidet. Quodque infert: aquas et flumina, et ignem et flammas, persecutorum impetum furoremque describit, qui saluti gentium invideant, et nolint sermonem evangelicum praedicari. Quamquam Judaei, in aquis Aegyptios, in fluminibus Babylonios, in igne Macedonas, in flamma Romanos intelligi velint. Idcirco autem praecipit eis ne timeant, quia Dominus Deus Salvator eorum, et sanctus Israel sit cum eis, qui fecerit eos Aegypto, Aethiopiae, et Syenae, et extremis mundi terminis praedicare. Pro Syene, reliqui Interpretes posuerunt SABA, unde fuit regina Austri, quae venit sapientiam audire Salomonis (III Reg. X). Quamobrem honorabilis factus est Apostolorum chorus in conspectu Dei, et dilectus ab eo: et cunctorum hominum salus atque populorum, qui per eos ad Evangelium sunt vocati, et reputabuntur in salutem animarum eorum. Unde jungit et dicit: Noli timere, ego tecum sum, qui vobis in Evangelio loquor: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (Matth. ult. 20). Ab Oriente enim et ab Occidente adducam filios tuos, qui requiescant in sinu Abraham, et

de cunctis mundi partibus filiorum meorum et filiarum populus congregabitur, qui vel invocent nomen meum, vel meo vocentur nomine, ut appellentur Christiani in gloriam conditoris sui. Quodque sequitur: Educ foras populum caecum, et oculos habentem; surdum, et aures ei sunt, multi putant dici de populo gentium, qui per Apostolorum doctrinam audire coeperunt et videre. Sed nos etiam haec de disperso intelligamus Israel, qui vocatus sit per Apostolos, primusque crediderit; quibus loquitur et Paulus: Vobis primum oportuit praedicari sermonem Dei (Act. XIII, 46). Et ipse Dominus in Evangelio: Ite ad oves perditas domus Israel (Matth. X, 6). Denique sequitur: Omnes gentes congregatae sunt simul, et collectae sunt tribus, id est, cum populo qui credidit ex Judaeis, ut duplex vocatio sit, circumcisionis et praeputii. Quod autem dicitur, Educ, ad Filium sermo est. Sive, juxta LXX, Pater de Filio loquitur, quod eduxerit populum suum caecum et surdum, et gentibus copularit, et fecerit ex eis multos Ecclesiae principes. Miraturque propheta quod nullus in gentibus haec praescire potuerit, nec Dei nosse consilia; sed tantum populus ejus qui Legem acceperit, et prophetas habuerit: Notus enim in Judaea Deus; in Israel magnum nomen ejus (Ps. LXXV, 1). Sive ipse Deus testis suorum sermonum sit, et patrator, et puer ejus ac servus quem elegit. Haud dubium quin Christum significet, cui et supra dicit: Magnum tibi est vocari te puerum meum. Et haec omnia fient, ut veritas mundo praedicetur, et sciant, et credant, et intelligant, quorum mens prius bruta erat et insensibilis, quod praeter unum Deum, nullus alius Deus sit, nec ante, nec postea. Neque enim temporum conditor habet aliquando principium, cum hoc ipsum, aliquando, sit temporis. Et quomodo nunc locutus est: Ego testis, dicit Dominus Deus; et puer quem elegi, dicente hoc ipsum Domino in Evangelio: Duorum hominum testimonium verum est. Ego sum qui testimonium perhibeo de me, et qui misit me Pater (Joan. VIII, 17, 18). Sic et de divinitate illius sentiendum est, quod nullus sit Deus, nisi ipse qui loquitur, et puer ejus quem elegit. Pulchreque praeter

Deum Patrem alter nullus est Deus: quia Christus Dei virtus est, et Dei sapientia (I Cor. I), qui loquitur in Evangelio: Ego in Patre, et Pater in me est (Joan. XIV, 11). Sicut enim unus Christus Dominus non aufert Patri ne Dominus sit: sic unus Deus Pater, non aufert Filio ne Deus sit: qui in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum (Joan. I, 1, 2). Quodque sequitur: Et non est absque me Salvator, ostendit in Patre Filium cuncta salvare. De quo idem propheta testatur: Et dimittet eis Dominus Salvatorem, qui salvos eos faciet (Isai. IX). Neque enim Deus sapiens et fortis, sine sua potest esse sapientia atque virtute. Cum ergo ab initio ego haec futura praedixerim, nullus erit qui meae renuat voluntati: immo quae ego fecero, posset irrita facere. Haec dicuntur quidem ad Jacob et Israel, sed referuntur ad apostolicum chorum et omnes qui de populo Judaeorum in Christum voluerint credere.

## (Vers. 14.)

Haec dicit Dominus redemptor vester, sanctus Israel. Propter vos misi in Babylonem, et detraxi vectes universos, et Chaldaeos in navibus suis gloriantes: ego Dominus sanctus vester creans, Israel rex vester.

LXX: Sic dicit Dominus Deus, qui redemit vos sanctus Israel: Propter vos mittam in Babylonem, et suscitabo fugientes universos, et Chaldaei in navibus vincientur. Ego Dominus Deus sanctus Israel, qui ostendi Israel regem vestrum. Juxta Hebraicum adhuc ad Israel propheticus sermo dirigitur, quod redemptor eorum Dominus et sanctus Israel, haec ad eos locutus sit: Propter vos qui mecum Evangelium praedicatis, quibus supra dixi: Noli timere, quoniam ego tecum sum, qui estis testes voluntatis meae, et puerum meum alterum testem mundo incredulo nuntiatis, misi Filium meum in Babylonem et confusionem hujus saeculi. Et detraxi omnes vectes ejus,

qui Hebraice appellantur BARIHIM, et quos Theodotio fortes interpretatus est. Et Chaldaeos, inquit, subauditur ἀπὸ κοινοῦ, detraxi, qui in suis gloriabantur navibus: in his videlicet, qui instar navium inter idola fluctuabant. De Chaldaeis nullus ambigit, quin daemones sonent. Ego Dominus haec futura praedixi, qui sum Creator vester et rex Israel. Porro juxta LXX multo alter est sensus: Ego Dominus qui te de periculis liberavi, et sanctus Israel: propter vos mittam in Babylonem regem Medorum atque Persarum, et habitatores ejus fugere faciam: et Chaldaei qui vos ceperant, vincti per mare Caspium ad gentes alias transferentur. Ego Dominus haec futura decrevi, qui ostendi Israel regem credentium fore.

## (Vers. 16, 17 seqq.)

Haec dicit Dominus, qui dedit in mari viam, et in aquis torrentibus semitam. Qui eduxit quadrigam et equum, agmen et robustum: simul obdormierunt, nec resurgent; contriti sunt, quasi linum, exstincti sunt. Ne memineritis priorum, et antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova, nunc orientur; utique cognoscetis ea. Ponam in deserto viam, et in invio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones et struthiones; quia dedi in deserto aquas, flumina in invio, ut darem potum populo, electo meo. Populum istum formavi mihi; laudem meam narrabunt.

LXX: Quia sic dicit Dominus, qui dat in mari viam, et in aqua vehementi semitam. Qui educit currus, et equos, et multitudinem robustissimam. Sed dormierunt, et non resurgent: exstincti sunt quasi linum exstinctum. Nolite meminisse priorum, et vetera ne recogitetis. Ecce ego faciam nova, quae nunc orientur, et cognoscetis ea, et faciam in deserto viam, et in inaquoso flumina. Benedicent me bestiae agri, sirenes et filiae struthionum, quia dedi in deserto aquam, et flumina in inaquoso, ut bibere faciam genus meum electum, populum meum, quem acquisivi, ut virtutes meas narret. Dominus qui

destruxit et abjecit Babylonem, et fortissimos illius detraxit de potentia omnesque Chaldaeos qui in fluctibus hujus saeculi feliciter navigabant, fecit esse captivos: ipse in aquis torrentibus maris Rubri reperit viam, ut transiret populus ejus de Aegypto liberatus. Sive qui dedit in mari Rubro viam, ipse et in aquis torrentibus Jordanis fluvii reperit semitam, ut et egressio ex Aegypto, et introitus in terram repromissionis haberet miraculum. Ipse currus et equos et omnem exercitum Pharaonis demersit in profundum, qui dormierunt somno perpetuo. Contriti sunt et exstincti, quasi linum in brevi temporis spatio, et in puncto atque momento. Linum enim necdum igne correptum, pro levitate substantiae statim exstinctum, in favillam dissolvitur. Igitur hoc praecipio vobis, ut inter signa mea atque miracula, quibus Babylon urbs potentissima diruta est, et quibus in mari Rubro atque Jordane populo meo aperta est via, nequaquam memineritis veterum, quoniam in Evangelio multo sum majora facturus; quorum comparatione, praeterita sileri debeant. Nequaquam enim ultra in mari Rubro, sed in deserto totius mundi reperiam viam. Nec unus fluvius, sive fons erumpet de petra, sed multa flumina, quae non corpora ut prius, sed animas sitientes reficiant, et impleatur illud quod supra legimus: Bibetis aquas de fontibus Salvatoris (Ad cap. XII, 3). Tunc quod numquam factum est, fiet, ut omnes bestiae et dracones, et struthiones qui in solitudine gentium morabantur, et idololatriae sanguine, morumque feritate bestiarum similes erant, glorificent me atque collaudent. Pro draconibus, quos solus Theodotio, ut in Hebraico scriptum est, appellavit THANNIM, reliqui Sirenas interpretati sunt, animalia portentosa, quae dulci carmine atque mortifero navigantes Scyllaeis canibus lacerandos praecipitabant. Hocque significat, quod voluptati prius et luxuriae dediti, ad servitutem Domini convertantur: licet melius sit dracones intelligi, quia junguntur et struthiones, ut quia semel de bestiis solitudinis loquebatur, haec animantia poneret, quae deserto familiaria sunt. Laudabunt autem,

inquit, me, et glorificabunt bestiae agri, et dracones, et struthiones, quia dedi in deserto gentium aquas, et in ariditate nationum flumina, ut biberet populus meus, quem elegi mihi, sive genus meum electum, et populus quem acquisivi sanguine meo, ut laudes meas virtutesque narraret.

## (Vers. 22, 23 seqq.)

Non me invocasti, Jacob: nec laborasti in me, Israel. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, et victimis tuis non glorificasti me. Non te servire feci in oblatione, nec laborem tibi praebui in thure. Non emisti mihi argento calamum, et adipe victimarum tuarum non inebriasti me. Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis: praebuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.

LXX: Non nunc vocavi te, Jacob, neque laborare te feci, Israel. Non attulisti mihi oves holocausti tui: neque in victimis tuis magnificasti me: nec servire te feci in hostiis, nec laborem tibi praebui in thure, nec emisti mihi argento thymiama, nec adipem hostiarum tuarum concupivi, sed in peccatis tuis defendi te, et in iniquitatibus tuis. Bestiis agri, draconibus et struthionibus laudantibus me, tu Jacob, nequaquam me invocare voluisti, nec postea laborare, ut peccatum emendares poenitentia. Quod autem arbitraris obtulisse te mihi victimas, et arietes immolasse, scias eos a me non esse susceptos, quia mihi et idolis communes erant. Illumque sensum repetit, de quo supra dixerat: Ut quid mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? Plenus sum holocausto arietum, et adipe agnorum, et sanguinem taurorum et hircorum nolo. Neque enim, ait, pretiosum a te quippiam requisivi: ut in parandis eis, laborare te facerem. Non exegi a te oblationes, nec thura quaesivi: non calamum, neque incensum, et diversa pigmenta generis, quorum fumo inebriares me atque satiares. Sed obedientiam, quae est supra sacrificium: et sacrificium, de quo in Psalmis David

dicit: Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum et humiliatum Deus non despicit (Ps. L, 15), illa volui, illa quaesivi. Tu autem me servire et laborare fecisti in peccatis tuis, ut cogerer dicere: Laboravi sustinens; et nequaquam ultra ferre te possum. Unde et per Osee idem loquitur Deus: Quid tibi faciam, Ephraim: protegam te, Israel (Ose. XI, 8)? Quid tibi faciam? quasi Adamam ponam te, et quasi Seboim? Quod autem LXX posuerunt, sed in peccatis tuis defendi te, et iniquitatibus tuis, sic potest superioribus copulari, ut labor sit Dei, et lassitudo defendere peccatores.

## (Vers. 25, 26 seqq.)

Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non recordabor. Reduc me in memoriam, ut judicemur simul: narra si quid habes ut justificeris. Pater tuus primus peccavit, et interpretes tui praevaricati sunt in me. Et contaminavi principes sanctos, dedi ad internecionem Jacob, et Israel in blasphemiam.

LXX: Ego sum, ego sum qui deleo iniquitates tuas, et non recordabor. Tu vero memento, et judicemur. Dic tu iniquitates tuas primus, ut justificeris. Patres vestri peccaverunt, et principes vestri inique egerunt in me, et contaminaverunt principes sancta mea. Et dedi ut perderem Jacob, et Israel in opprobrium. Tu me, inquit, Jacob et Israel, laborare fecisti in peccatis tuis, et onera iniquitatum tuarum portare vix potui, quos nequaquam servos meos nec pueros voco, sed simplici appello nomine Jacob et Israel, ut ostendam et arguam peccatores. Ego autem propter me, quia misericors sum et patiens, et multarum miserationum, delebo omnes iniquitates tuas in aspersione et sanguine novi Testamenti: delebo vetus chirographum, quod adversum te scriptum erat; et peccatorum tuorum ultra non recordabor, quae tibi, si credere volueris, in baptismate dimissurus sum. Reduc

ergo me in memoriam: si quid habes justi quod respondeas mihi, libenter accipiam: ut judicemur simul, et arguas me non fecisse tibi quod facere debui. Quem sensum in Michaea plenius legimus: Populus meus quid feci tibi, et quid molestus fui tibi? responde mihi: quia eduxi te de terra Aegypti et de domo servitutis liberavi te, et misi ante faciem tuam Moysen et Aaron et Mariam. Et in quinquagesimo psalmo David loquitur ad Deum: Ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum fueris judicatus (Ps. L, 5). Narra ergo si quid habes, ut justificeris. Et est sensus: Ego non loquar prior contra te, ne oppressum esse te dicas multiplicatione sermonum; sed ut si quid justi habes, ipse pro te loquere; ut videaris ista quae pateris, immerito sustinere. Et ut scias me misereri tui, non ob meritum tuum, sed propter meam clementiam, a patribus tuis repetam atque majoribus, ut intelligas te a peccatoribus esse generatum: Pater tuus primus peccavit in solitudine: omnis videlicet populus Israel. Sive auctor generis tui S. Abraham peccasse convincitur, quando Domino terram repromissionis semini illius pollicente, respondit: In quo sciam quia possidebo eam? Et interpretes, inquit, tui praevaricati sunt in me (Genes. XV, 8): Aaron et Moyses ad aquam cotradictionis, qui inter me et te medii loquebantur (Exod. XVII). Et ut intelligamus non esse violentem expositionem, sequitur: Et contaminavi principes sanctos, de quibus et in psalmo canitur: Absorpti sunt juxta petram judices eorum (Ps. CXL, 6). Quos idcirco contaminasse se dicit, quod terram repromissionis non intraverint. Dedique ad internecionem Jacob, et Israel in blasphemiam; ut nullus, praeter duos ex his qui de Aegypto egressi erant, intraret in Judaeam: sed cadavera eorum jacerent in solitudine. Juxta LXX, qui addiderunt de suo: Dic tu prior iniquitates tuas, ut justificeris, ad poenitentiam eos provocat Deus, ut intelligant scelera sua atque peccata, et veniam consequantur. Scriptum est enim et in alio loco: Justus accusator sui est in principio sermonis (Prov. XVIII, 17). Principesque eorum et patres dicuntur Domini sancta

violasse, non servientes Legi Dei: sed traditiones et mandata hominum requirentes: propter quos periit Jacob, et in opprobrium datus est Israel, ejectus de sua provincia, et totius orbis exul atque peregrinus.

## (Cap. XLIV.---Vers. 1 seq.)

Et nunc audi, Jacob serve meus, et Israel, quem elegi. Haec dicit Dominus, faciens et formans te ab utero auxiliator tuus. Noli timere, serve meus Jacob, et Rectissime quem elegi. Effundam enim aquas super sitientem, et fluenta super aridam: effundam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam. Et germinabunt inter herbas, quasi salices juxta praeterfluentes aquas. Iste dicet, Domini ego sum: et ille vocabit in nomine Jacob, et hic scribet manu sua, Domino: et in nomine Israel assimilabitur.

LXX: Nunc autem audi, Jacob puer meus, et Israel quem elegi. Ego Dominus Deus, qui feci te, et plasmavi te de ventre, adhuc habebis auxilium. Noli timere, puer meus Jacob, et dilecte Israel quem elegi, adhuc ego dabo aquam in siti qui ambulant in inaquoso: ponam spiritum meum super semen tuum, et benedictiones meas super filios tuos. Et orientur ut in medio aquae fenum, et sicut salix juxta praeterfluentes aquas. Iste dicet Dei sum: iste clamabit in nomine Jacob. Et alius scribet in manu sua, Dei sum ego, et in nomine Israel clamabit. Ubi accusatur populus Judaeorum ob incredulitatem atque blasphemiam, absque ulla nominis dignitate, puris appellatur vocabulis: Non me invocasti, Jacob, nec laborasti in me, Israel; et iterum: Dedi ad internecionem Jacob, et Israel in blasphemiam (Supra, XLIII, 22, 28). Ubi autem ad Apostolorum chorum, qui ex Judaeis est, sermonem facit, junguntur et nominum privilegia. Audi, Jacob serve meus, et Israel quem elegi: ut prima sit servitus, secunda electio. Haec dicit Dominus, factor et formator tuus, qui ab utero auxiliatus est tui (Genes.

XXV): ut adhuc in ventre matris plantam fratris arriperes. Sive qui in principio nascentis Ecclesiae te de persecutoribus conservavit. Noli timere crudelitatem eorum, serve meus Jacob, et Rectissime quem elegi. Alio nomine Israelem vocat; ISURUN enim verbum Hebraicum, caeteri --- sive ὐθῆ, id est, rectissimum, et rectum interpretati sunt: soli LXX dilectissimum, jungentes de suo, Israel. Proprie enim juxta Hebraeos et litterarum fidem, ISRAEL, rectus Dei dicitur. Vir autem videns Deum non in elementis, sed in sono vocis est. Unde et liber Geneseos appellatur --- id est, justorum, Abraham, Isaac, et Israel. Noli igitur timere, Jacob et Israel, quia effundam aquas super sitientem et aridam, de qua saepe dictum est: Et effundam, sive ponam spiritum meum super semen tuum, et benedictionem meam super stirpem tuam, quae ex aqua et Spiritu Sancto in baptismate renascetur. Quam et in Evangelio Salvator promisit, dicens: Qui sitit, veniat ad me, et bibat. Statimque infertur: Hoc autem dicebat de Spiritu Sancto, quem credentes accepturi erant (Joan. VII). Comparat quoque in baptismate renascentes herbis virentibus, et salici quae juxta fluentes aquas oritur: et contra rerum naturam affert fructus, quae prius sterilis erat, vel cujus semen in cibo sumptum, steriles facit. Quod quidem in primo psalmo legitur: Et erit sicut lignum quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructus suos dabit in tempore suo, et folium ejus non decidet. Alii inter herbas et renascentes salices duplicem vocationem intelligunt: ut in herbis populus nationum sit; in salicibus, hi qui ex Israel crediderunt. Simulque describit varietatem credentium: Alius dicet, Domini ego sum, qui justitiae opera in se esse confidit: alius vocabit, subauditur, peccatores ad poenitentiam in nomine Jacob; ut et ipsi supplantent vitia atque peccata. Alius scribet manu sua, Dei sum. Sive ut LXX transtulerunt, scribet in manu sua, Dei sum: ut novo tyrocinio servitutis Christi se militem glorietur. Et in nomine Israel assimilabitur. Non enim omnes ex Israel, sed magna pars ex gentium multitudine, in nomine Israel assimilabitur: ut recipiat

Legem et Prophetas, omnesque gratias Spiritus Sancti, quae Israel populo repromissae sunt.

## (Vers. 6 seqq.)

Haec dicit Dominus rex Israel, et redemptor ejus Dominus exercituum: Ego primus et ego novissimus, et absque me non est Deus. Quis similis mei? vocet et annuntiet, et ordinem exponat mihi, ex quo constitui populum antiquum: ventura et quae futura sunt annuntient eis. Nolite timere, neque conturbemini: ex tunc audire te feci, et annuntiavi: vos estis testes mei. Numquid est Deus absque me, et formator quem ego non noverim? Plastae idoli omnes nihil sunt, et amantissima eorum non proderunt eis. Ipsi sunt testes eorum, quia non vident, neque intelligunt, ut confundantur. Quis formavit Deum, et sculptile conflavit ad nihil utile? Ecce omnes participes ejus confundentur: fabri enim sunt ex hominibus: convenient omnes, stabunt, et pavebunt, et confundentur simul. Faber ferrarius lima operatus est: in prunis et in malleis formavit illud, et operatus est in brachio fortitudinis suae. Esuriet, et deficiet, non bibet aquam, et lassescet. Artifex lignarius extendit normam, formavit illud in runcina: fecit illud in angularibus, et circino tornavit illud: et fecit imaginem viri, quasi speciosum hominem habitantem in domo. Succidit cedros, tulit ilicem, et quercum, quae steterat inter ligna saltus. Plantavit pinum, quam pluvia nutrivit: et facta est hominibus in focum: sumpsit ex eis, et calefactus est: succendit, et coxit panes. De reliquo autem operatus est Deum, et adoravit: fecit sculptile, et curvatus est ante illud. Medium ejus combussit igni, et de medio ejus carnes comedit. Coxit pulmentum, et saturatus est, et calefactus est, et dixit: Vah! calefactus sum, vidi focum. Reliquum autem ejus deum fecit, et sculptile sibi: curvatur ante illud, et adorat illud, et obsecrat, dicens: Libera me, quia deus meus es tu. Nescierunt, neque intellexerunt: obliti enim sunt, ne videant oculi eorum, ne intelligant

corde suo. Non recogitant in mente sua, neque cognoscunt, neque sentiunt ut dicant: Medium ejus combussi igni, et coxi super carbones ejus panes. Coxi carnes, et comedi, et de reliquo ejus idolum faciam, ante truncum ligni procidam, pars ejus cinis est: cor insipiens adoravit illud: et non liberavit animam suam, neque dicet: forte mendacium est in dextera mea. Post praedicationem Apostolorum, vocationem gentium, Salvatoris adventum, et effusionem Spiritus Sancti, quem cunctis credentibus daturum se esse promisit, quando pro varietate meritorum alius dicet, Domini ego sum: alius vocabit in nomine Jacob: alius scribet manu sua se esse Domini, et cum ortus sit de infideli turba gentilium, in nomine assimilabitur Israel, ut relictis idolis, unius Dei cultor sit: incipit altera --- quam totam simul proposuimus, ne unius sensus divideremus continentiam. Et quia Septuaginta in hoc capitulo exceptis paucis verbis non discrepant ab Hebraico, nostra editione contenti sumus, qua intellecta, noscentur et caeterae. Est autem sermo contra illius temporis idololatras, quo Isaias propheta ventura populis nuntiabat, et arguit eos, qui Dei omnipotentis religione contempta, simulacris ligneis inclinentur, et adorent opera manuum suarum. Curramus ergo per singula. Haec dicit Dominus rex Israel, qui in me crediturus est, et redemptor ejus, qui Filii mei suscipiet adventum: Dominus exercituum atque virtutum, et Omnipotens. Hoc enim in Hebraico sonat SABAOTH. Ego sum primus, et ego novissimus, ego Α et Ω; et absque me non est Deus, quia puer quem elegi, in me Deus est. De quo supra dixi: Ecce puer meus, quem elegi: electus meus, quem suscepit anima mea: judicium gentibus proferet: et in nomine ejus gentes sperabunt. Nec dicit se esse solum, sed praeter virtutem suam atque sapientiam nullum esse externum Deum, deorumque multorum opinionem, et simulacra condemnans: Quis, inquit, similis mei est? Vocet ea quae non sunt quasi sint, et exponat ordinem creaturae meae, qui cuncta ratione libraverim, ex quo feci hominem super terram. Nec hoc solum volo,

sed quaero etiam scientiam futurorum. Unde tu, Israel, cujus et rex et redemptor sum, noli timere simulacra, quae esse nihil, in Sina monte didicisti. An forsitan Creator est alius, quem ego non noverim? Aut praeter hunc alter est mundus, qui ignoti Dei monstret potentiam? Neque vero ea solum quae fiunt, sed et illi qui faciunt, habebuntur pro nihili. Cumque vindictae tempus advenerit, nequaquam poterunt eos manuum suarum opera liberare, quae caeca et insensibilia confundunt artifices suos. Quis enim possit hoc credere quod ascia, lima, et terebro malleoque formetur Deus? Et vel in prunis simulacra fundantur; vel norma, runcina, et angularibus, circinoque in deos repente consurgant? Praesertim cum fame et siti artificis, artis vilitas demonstretur. Fit enim lignea statua, humanam exprimens speciem, et quanto pulchrior fuerit, tanto Deus putatur angustior. Ponitur in fano, et aeterno clauditur carcere, quae longo tempore crevit in saltibus, et pro varietate arborum, cedrus et ilex et quercus vel pinus fuit. Mirumque in modum segmenta ejus atque rasurae mittuntur in focum, ut calefaciant artificem Dei, et coquant diversa pulmenta: pars autem altera formatur in Deum, ut opere completo, adoret illam factor suus, et operis sui imprecetur auxilium; nec intelligit, vel recogitat, immo nec carnis, nec mentis aspicit oculis, quod non possit esse Deus, cujus pars igne combusta est: nec hominis manu fieri divina majestas. Pleniusque super irrisione idolorum propheticus sermo contexitur, quae facilis intelligentiae sunt, nec laciniosam, immo superfluam expositionem desiderant. Super quo et Flaccus scribit in Satira, deridens simulacra gentium (Satir. VIII, lib. I).

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum:
Cum faber incertus scamnum faceretne Priapum.
Maluit esse deum: deus inde ego, furum aviumque,
Maxima formido. . . . . . . . . . . . .
Quidquid autem de idolis dictum est, potest referri, et ad hereseωn principes, qui simulacra dogmatum suorum

atque mendacii, artifici corde componunt, et venerantur ea quae a se sciunt esse simulata. Nec sufficit eis error proprius, nisi simplices quosque eorum adoratione deceperint. Qui quaestum putant esse pietatem, et devorant domos viduarum (I Tim. VI), abutentesque vulgi imperitia, ita arte dialectica, quasi ascia et terebro, lima et runcina formant Deum suum, et cudunt malleo, atque inaurant sermonis rhetorici venustate: quorum Deus venter est, et gloria in confusione eorum (Philipp. III).

## (Vers. 21 seqq.)

Memento horum Jacob, et Israel, quoniam servus meus es tu: formavi te, servus meus es tu, Israel, ne obliviscaris mei. Delevi ut nubem iniquitates tuas, et quasi nebulam peccata tua. Revertere ad me: quoniam redemi te. Laudate, coeli, quoniam misericordiam fecit Dominus: jubilate, extrema terrae, resonate, montes, laudationem, saltus, et omne lignum ejus: quoniam redemit Dominus Jacob, et Israel gloriabitur.

LXX: Memento horum, Jacob et Israel; quoniam puer meus es tu: formavi te puerum meum: et tu, Israel, ne obliviscaris mei. Ecce enim delevi sicut nubem iniquitates tuas: et sicut caliginem peccata tua. Revertere ad me, et redimam te. Laetamini, coeli, quoniam misertus est Deus Israelis. Canite tuba, fundamenta terrae, clamate, montes, laetitiam: colles et omnia ligna quae in eis sunt, quoniam redemit Deus Jacob: et Israel inclytus erit. Cum haec se ita habeant, et idola hominum scias esse figmenta, o Jacob, et puer meus Israel, ne obliviscaris Creatoris tui, tibique ipsi injuriam facias, ut incurveris operi manuum tuarum. Quae quia in adventu pueri mei, quem elegi, penitus destruenda sunt; propterea tota mentis aviditate cognosce, quod sicut nubes et caligo, et nebula, vel solis calore dissolvitur, vel vento raptante tenuatur: ita iniquitates tuas, et universa peccata, quibus prius me offenderas, dissolvi faciam. Tu tantum revertere

ad me, et age poenitentiam, quia redimendus es pretioso sanguine. Quod si feceris, scias in salute tua coelos terramque laetari, et omnia elementa concinere. Sive angelos qui morantur in coelis, et alias potestates, quibus terrae fundamenta portantur. Vel certe Apostolos et Prophetas, de quibus loquebatur et Apostolus: Aedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum (Ephes. II, 20). Montes quoque et silvae, sive colles, qui pro varietate virtutum prima et media loca et ultima possederunt, jubentur jubilare, et tuba canere, scientes quod redemerit Dominus Jacob, et in Israel conversione laetetur, sive ipse Israel ab errore conversus, inclytus fiat.

## (Vers. 24 seqq.)

Haec dicit Dominus redemptor tuus, et formator tuus ex utero: Ego sum Dominus faciens omnia, extendens coelos solus, stabiliens terram, et nullus mecum. Irrita faciens signa divinorum, et hariolos in furorem vertens: convertens sapientes retrorsum, et scientiam eorum stultam faciens. Suscitans verbum servi sui, et consilium nuntiorum suorum complens. Qui dico Jerusalem: habitaberis, et civitatibus Judae: aedificabimini, et deserta ejus suscitabo. Qui dico profundo: desolare, et flumina tua arefaciam. Qui dico Cyro: pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem: aedificaberis; et templo: fundaberis.

LXX: Sic dicit Dominus qui redemit te, et formans te ex utero. Ego Dominus, qui compleo omnia: extendi coelum solus, et firmavi terram. Quis alius dissipavit signa pythonum, et divinationes de corde? qui averto prudentes retrorsum, et consilium eorum stultum facio. Et statuo verbum pueri mei, et consilium Angelorum ejus verum probo. Qui dico Jerusalem, habitaberis: et civitatibus Judae: aedificabimini, et deserta illius orientur. Qui dico abysso, desolaberis, et flumina tua arefaciam. Qui dico Cyro, ut sapiat, et omnes voluntates meas faciat; qui dico

Jerusalem, aedificaberis: et domum sanctam meam fundabo. Destructis idolis et iniquitatibus Israel, peccatisque deletis, quando omnis simul creatura gaudebit; et juxta Evangelii fidem (Luc. XV), super poenitentia peccatorum Angeli laetabuntur in coelis, describitur potentia Dei, quod nequaquam ei grande sit redimere Jacob, et Israel instaurare cor rectum, quem formavit ex utero. Et si hoc alicui non parvum videatur, non sit illi difficile qui extenderit coelos solus. Juxta quod alibi legitur: Qui extendit coelum quasi pellem (Ps. CIII, 2). Non quo Filius excludatur ab extensione coelorum: Omnia enim per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est (Joan. I, 3), sed quo, ut saepe diximus, per hanc sententiam excludantur idola. Nam et in Proverbiis Salomonis ex persona Christi Dei virtutis Deique sapientiae dicitur: Quando parabat coelum, ego eram cum eo (Prov. VIII, 27). Ipse enim dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt (Ps. CXLVIII, ps. XXXII, 9); et: Verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus virtus eorum (Psal. XXXII, 6). Haec frequenter ingerimus, ne ulla blasphemandi Christum haereticis occasio relinquatur. In stabilitate quoque terrae, quando illius fundamenta solidabat, nullus erat cum Deo, praeter eum qui erat in eo. Iste igitur tantus ac talis, cum praefiniti mysterii tempus advenerit, ut cuncta idola destruantur, et Dei solius notitia praedicetur in mundo, omnia vaticinia divinorum, et pythonum, et hariolorum signa atque portenta, quibus humanum deceperunt genus, destruet atque subvertet; et sapientiam philosophorum, quae et ipsa erroris pars maxima est, stultam esse monstrabit: dum nequaquam humanis cogitationibus, Dei probantur comprehendisse sapientiam. Qui etiam verbum pueri, sive servi sui, de quo supra diximus, et consilium nuntiorum ejus, rebus explebit: Apostolorum scilicet omniumque doctorum, qui voluntatem magistri sui gentibus nuntiabunt. Ipse ergo qui est tanta facturus, cujus potentiam brevi sermone descripsi, etiam ad Jerusalem, quae destruenda erit a Babyloniis, nunc dicit antequam

destruatur, quod rursum habitetur a populis: et civitatibus Judaeae, quod instaurentur, qui et solitudines illius suscitabit, ut omnia cultoribus impleantur. Qui igitur dicit Jerusalem et Judaeae et desertis ejus, quod habitetur et aedificetur et suscitetur, hic dicit profundo sive abysso, id est, Babyloni, desolare et flumina tua arefaciam, omnem regum potentiam. Sive quia profundum et abyssum dixerat, recte per translationem, et flumina posuit, de quibus et Psalmista decantat: Super flumina Babylonis ibi sedimus et flevimus (Ps. CXXXVI, 1). Et qui Jerusalem instaurat, et Babylonem destruit. Dicit quoque Cyro regi Persarum, qui primus destruxit Babylonem atque Chaldaeos: pastor meus es, sive ut Septuaginta transtulerunt, ut sapiat. Cujus differentiae causa manifesta est. Verbum enim Hebraicum ROI si per RES litteram legamus, intelligitur pastor meus; si per DALETH, sciens vel intelligens meus, quarum similitudo parvo apice distinguitur, ac per hoc saepe confunditur. Scriptum est in Esdrae principio, quod ad edictum Cyri regis Persarum atque Medorum, populi Israel sit laxata captivitas, et remissi in Jerusalem, qui redire voluerunt sub Zorobabel filio Slathiel, et Jesu filio Josedec sacerdote magno. Huic enim Dominus inspiravit ut suam faceret voluntatem, et illius praecepta compleret. Signanterque addidit, qui dico Jerusalem, aedificaberis, et Templo, fundaberis. Sub Cyro enim jussum est, ut aedificaretur Jerusalem et Templum, cujus tantum illo vivente jacta sunt fundamenta. Caeterum sub Dario, anno illius secundo, prophetantibus Aggaeo et Zacharia, Templum aedificari coeptum est.

## (Cap. XLV.---Vers. 1 seqq.)

Haec dicit Dominus Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam ante faciem ejus gentes, et dorsa regum vertam, et aperiam coram eo januas: et portae non claudentur. Ego ante te ibo, et gloriosos terrae humiliabo: portas aereas conteram, et

vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum: ut scias quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel. Propter servum meum Jacob, et Israel electum meum, et vocavi te nomine tuo: assimilavi te, et non cognovisti me. Ego Dominus, et non est amplius: extra me non est Deus: accinxi te, et non cognovisti me. Ut sciant hi, qui ab ortu solis, et qui ab occidente, quoniam absque me non est [Antea addebatur Deus]. Ego Dominus, et non est alter. Formans lucem, et creans tenebras: faciens pacem, et creans malum. Ego Dominus faciens omnia haec. Scio in hoc capitulo non solum Latinorum, sed Graecorum plurimos vehementer errare, existimantium scriptum esse: Sic dicit Dominus Christo meo, Domino; ut intelligatur, juxta illud quod alibi legimus: Pluit Dominus a Domino (Genes. II). Et: Dixit Dominus Domino meo (Ps. CIX, 1). Neque enim κυρίω, quod Dominum sonat, sed Cyro dicitur, qui Hebraice appellatur CHORES, regi Persarum, qui Babylonem Chaldaeosque superavit. Et junctis Medis, agitator bigae, id est, cameli et asini, supra legitur. Iste appellatus est Christus, id est, unctus Domini, quod erat insigne apud Hebraeos regiae potestatis, ut quomodo apud nos diadema et purpura solis Imperatoribus datur: sic apud Hebraeos regnaturi perfundebantur unguento. Unde et Saul Christus Domini dicitur (I Reg. VI). Et in Psalmis legimus: Nolite tangere Christos meos: et in Prophetis meis nolite malignari (Ps. CIV, 15). Hujus dexteram apprehendit et tenuit, ut nullus fortitudini ejus valeret resistere. Legamus Xenophontis octo librorum Cyri majoris historiam, et prophetiam Isaiae cernemus expletam. Quae enim civitas illi non patuit? quae non regum terga subjecit? Qui muri prius inexpugnabiles, non illius obsidione subversi sunt? Unde ad ipsum Cyrum Deus apostropham facit: Dedi tibi thesauros, et absconditas opes cunctarum urbium; ut qui prius colebas idola, beneficiis unum sentires Deum, praesertim cum scias, multo antequam nascereris tuum nomen esse praedictum. Quod quidem et Josephus in undecimo Judaicae

Antiquitatis volumine refert, legisse Cyrum ab Isaia de se certo vaticinatum nomine, et idcirco Judaeos quasi Dei familiares plurimum dilexisse. Haec autem, inquit, tribui tibi propter Jacob servum meum, et Israel electum meum, et vocavi te nomine tuo, sicut vocavi Abraham, Isaac, et Jacob; et multo ante praedixi, ut Isaac et Josiam: ne putareris ille esse Christus, cui assimilatus es, et in cujus typum et imaginem praecessisti. Tu autem non cognovisti me, id est, simulacra coluisti, non Deum. Accinxi te fortitudine; multarum gentium feci esse victorem, et non cognovisti auxiliatorem tuum. In quo loco satis mirari nequeo, quae stultitia sit legentium; ut haec ad Christum referant, per quem mundus reconciliatus est Deo. Ego, ait, Dominus, et non est amplius extra me. Praeter sermonem quippe atque rationem virtutemque meam et sapientiam, quae in me est, nullus est alter Deus. Et haec feci, ut ab Oriente et Occidente omnis orbis agnoscat, nullum esse alium absque me Deum. Ego Dominus, et non est alter. Pater enim in Filio, et Filius in Patre. Qui loquitur in Evangelio: Ego et Pater unum sumus (Joan. X, 30). Et in Esdrae volumine positum est, scripsisse Cyrum ad omnes gentes, nullum esse Deum, nisi solum Deum Israel. Sive ita intelligendum, quod captivorum laxatio, et Dei in populum suum clementia, cunctis gentibus Deum fecerit notiorem. Qui igitur tibi dedi fortitudinem, et solus Deus sum, ipse res inter se contrarias facio, lucem et tenebras, id est, diem et noctem: pacem et malum, hoc est, otium et bellum, per quae significat et iratum fuisse se populo suo, quando tenebras captivitatis, malaque sustinuit servitutis. Et rursum misertum, quando remissi in patriam, pacem et gaudium receperunt. Quomodo enim luci contrariae tenebrae sunt: ita paci contrarium bellum est. Unde confundatur haeresis, quae malorum arbitratur conditorem Deum. Cum hic malum non contrarium bono, sed pro afflictione ponatur et bello, secundum illud quod in Evangelio scriptum est: Sufficit diei malitia sua (Matth. VI, 34). Possumus juxta tropologiam haec et de ecclesiastico viro dicere, cui Deus dedit sermonem atque

sapientiam, ut omnes sectas contrarias veritati sua disputatione subvertat. Sicut et de Stephano sancta Scriptura commemorat (Act. VI), quod nullus potuerit resistere sapientiae ejus, et ut reges, id est, patriarchas singularum haereseωn, suae subjiciat potestati: et aperiat atque confringat, quod prius videbatur dialectica arte conclusum: et in medium proferat arcana haereticorum, superans eos atque convincens, ut Christi secreta cognoscant, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi (Coloss. II). Istiusmodi virum vocat Deus ex nomine suo, quia defensor est pueri ejus Jacob, et electi illius Israel. Hunc suscipit, et assimilat sermoni suo, qui cavere debet ne suum putet esse quod loquitur, sed omnia ad datoris referat gloriam; ne et ipse mereatur audire: Accinxi te, et non cognovisti me. Cum enim instructus armatura Apostoli, omnes docuerit non esse alium Deum nisi unum, qui sit Jacob et Israel Deus: confundetur Marcion, duos deos intelligens, unum bonum, et alium justum; alterum invisibilium, alterum visibilium conditorem.

## LIBER DECIMUS TERTIUS.

Multi casus opprimunt navigantes. Si vehementior flaverit ventus, tempestas formidini est. Si aura moderatior summa jacentis elementi terga crispaverit, piratarum insidias pertimescunt. Atque ita fit, ut fragili animae ligno creditae, aut metuant periculum, aut sustineant: quorum utrumque altero gravius est, vel mortem timere perpetuo, vel quam timueris sustinere. Hoc mihi in Isaiae pelago naviganti accidere video; dum enim inoffenso cursu vela tenduntur, et securis naturarum manibus, sulcans aequoris campos carina delabitur, subitus languoris turbo consurgens, tantis undarum molibus et collisorum inter se fluctuum fragore resonante, pavida amicorum corda perterruit, ut dicere cogerentur: Magister, salvos nos fac, perimus (Matth. VIII, 25). Quamobrem, Eustochium, in toto orbe terrarum unicum

nobilitatis et virginitatis exemplum, non sileat pupilla oculi tui; clamaque in corde: Abba pater (Rom. VIII, 15). Et cum Psalmista loquere: Exsurge, ut quid dormis, Domine (Ps. XLIII, 23)? ut injunctum in Isaiam opus, te orante, et Christo miserante perficiam. Jam enim tertius decimus Explanationum liber cuditur, qui necdum pervenit ad calcem. Et interim donec misericors et miserator Dominus, patiens et multarum miserationum (Ps. CLXXXV et CXLIV), reddat pristinam sanitatem, hanc Praefatiunculam tumultuario sermone dictavi; ut quae habentur, in schedulis describantur; et plena emendatio lectoris judicio reservetur.

## (Cap. XLV.---Vers. 8.)

Rorate, coeli, desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem, et justitia oriatur simul: ego Dominus creavi eum.

LXX: Laetetur coelum desuper, et nubes spargant justitiam: germinet terra, et oriatur misericordia, et justitiam germinet simul: ego Dominus qui creavi te. Duplex hujus loci interpretatio est. Quidam enim putant haerere superioribus quae dicuntur, et Cyro rege laxante captivos, coelum terramque laetari: --- pro eo quod est, illos qui in coelo morantur et terra. Alii a superioribus separant et proprium capituli hujus volunt esse principium, ac de adventu Domini prophetari, quod imperetur nubibus, de quibus supra (Ad cap. V, 6) scriptum est: Mandabo nubibus ne pluant super eam imbrem, id est, vineam Israel: et ad quas pervenit veritas Dei, ut pluant mundo justum sive justitiam; terraque aperiatur et germinet Salvatorem. De qua in Psalmis canitur: Veritas de terra orta est, et justitia de coelo prospexit (Ps. LXXXIV, 12): sive juxta LXX: Terra misericordiam et justitiam pariter germinavit, ut et peccatores misericordiam, et justi praemia consequantur. Quodque sequitur: Ego Dominus creavi eum, vel, ego

Dominus qui creavi te, non scandalizabitur ad nomen creaturae, qui illum vermem ac servum et germinatum legerit esse de terra.

## (Vers. 9 seqq.)

Vae qui contradicit fictori suo: testa de Samiis terrae. Numquid dicit lutum figulo suo, quid facis: et opus tuum absque manibus est? Vae qui dicit patri, quid generas: et mulieri, quid parturis? Haec dicit Dominus, Sanctus Israel plastes ejus: Ventura interrogate me super filios meos, et super opus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, et hominem super eam creavi ego: manus meae tetenderunt coelos: et omni militiae eorum mandavi. Ego suscitavi eum ad justitiam: et omnes vias ejus dirigam. Ipse aedificabit civitatem meam: et captivitatem meam dimittet, non in pretio neque in muneribus, dicit Dominus exercituum.

LXX: Quid melius feci quam lutum figuli? Numquid arans arabit terram? Numquid dicet lutum figulo, quid facis: quoniam non operaris, nec habes manus? Vae qui dicit patri, quid generas: et matri, quid parturis? Sic enim dicit Dominus Deus, Sanctus Israel, qui fecit ventura. Interrogate me de filiis meis, et de operibus manuum mearum mandate mihi. Ego feci terram, et hominem super eam. Ego manu mea firmavi coelum: ego omnibus stellis mandavi. Ego suscitavi eum cum justitia regem: omnes viae illius rectae. Ipse aedificabit civitatem meam, et captivitatem populi mei convertet: non cum pretio neque cum muneribus, dixit Dominus Deus sabaoth. Qui ad Cyri personam volunt referre quae dicta sunt, sic locum istum interpretantur. Me ingentia pollicente, quod propter reversionem populi mei in Judaeam, omnia Cyro regna substernam: Vae ei qui incredulus est, et non putat ventura quae dico, quasi si lutum et testa confracta calumnietur figulum suum, quare facta, vel cur ita facta sit; et opus contra artificis loquatur manus; et patrem ac

matrem calumnietur filius, cur in terram naturae lege profusus sit. Cum igitur ego Dominus Sanctus Israel plasmaverim Cyrum, et mea jussione generatus sit, superfluum facitis ambigere de futuris; quin potius nosse debetis, quod filios meos, populum Israel, et opus manuum mearum, non vestro arbitrio, sed mea voluntate dispensem: ut qui prius eis tenebras et malum creavi, nunc lucem et pacem tribuam. Ego enim sum Deus, qui non in vacuum creavi terram; ut esset deserta et squalida, sed ut homines habitarent in ea. Ego extendi sive firmavi coelos, ut Angelorum essent habitaculum. Stellarumque eos varietate distinxi; et imperavi singulis quo currerent ordine, et dierum ac mensium annorumque diversa spatia complerent. Qui igitur coelum feci et terram, quid magnum est, si unum regem creaverim, qui mea mandata conservet; et omnes vias illius dirigam? Ipse enim jussurus est, ut aedificetur civitas mea Jerusalem, et captivi redeant in Judaeam. Non ob pretium, neque munera, sed ob meam voluntatem, dicit Dominus Deus exercituum. Qui autem coeptam ad Christum refert intelligentiam, sic explanationis suae verba moderatur: Vae eis qui contradicunt Deo, et Christum non putant esse venturum; quasi lutum et testa de testis contradicat figulo suo. Vae qui dicit Omnipotenti Patri, quare tu generas filium, et mulieri sanctae Mariae, quid parturis? De qua scribit et Apostolus (Galat. IV): Quod Christus factus sit de muliere, factusque sub lege. Haec ergo dicit Dominus Sanctus Israel, qui plasmavit in virginali utero Salvatorem, dicens per Gabrielem: Spiritus sanctus veniet super te: et virtus Altissimi obumbrabit tibi (Luc. I, 35): quod autem nascetur in te sanctum, vocabitur Filius Dei: interroget me testa, et futurorum secreta perquirat. Et praecipiat mihi, quomodo adoptivos filios, qui in meum Filium credituri sunt, debeam regenerare. Dicit et evangelista Joannes: Quotquot eum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri (Joan. I, 12). Sin autem ego feci terram, ut habitaretur ab hominibus, et coelos extendi desuper, et eos astrorum varietate decoravi, ut morarentur in terra

cultores Dei: quid mirum si Filium meum, justum regem miserim mundo, sive ab inferis suscitaverim, cujus omnes viae rectae sunt? Peccatum enim non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus (I Pet. XII). Qui aedificet civitatem meam super petram, adversum quam portae inferi non praevaleant (Matth. XVI); et quae in monte posita, latere non possit (Ibid., V): daemoniacisque prius vinculis alligatos, omnes dimittat liberos, non in pretio neque in muneribus: gratis enim salvi facti sumus, audientibus Apostolis atque facientibus: Gratis accepistis, gratis date (Matth. X, 8). Nonnulli haec ad Zorobabel referunt, qui eduxit captivos de Babylone, et aedificavit civitatem, et exstruxit templum, prophetantibus Aggaeo et Zacharia, atque dicentibus: Manus Zorobabel fundaverunt domum istam, et manus ejus complebunt eam (Zach. IV, 9). Sed nos rectius dicimus et verius, nec Cyrum aedificasse civitatem quae postea exstructa est sub Neemia, nec omnes vias ejus fuisse directas. Cui supra dictum est: Assumpsi, et accinxi te: et non cognovisti me; et Zorobabel statum, qui sub nutu ac potestate Medorum fuit atque Persarum, omnia quae dicuntur excedere. Neque enim Zorobabel exstruxit civitatem, nec captivitatem dimisit, nec rex appellari potest, qui sub aliis vivens regibus, hoc nomine caruit. Quid sibi autem velint Septuaginta, qui in principio hujus capituli transtulerunt: Quid melius feci quam lutum figuli? Numquid qui arat, arabit terram? Scire non valeo: nisi forte Theodotionis sequar editionem, qui pro hoc posuit: Vae ei qui contendit contra factorem suum, arans arantes terram: quod scilicet vulneret in poenitentia corda mortalium, et in morem sulcorum ea subruat atque subvertat. Sed et haec frivola interpretatio est. Porro quod figulus, hoc est, Creator noster et factor appelletur Deus, et apostolus Paulus in Epistola loquitur ad Romanos: Numquid dicit figmentum ei qui se finxit: quid me fecisti sic? Annon habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam (Rom. IX, 20)? Et in Jeremia prolixius

scribitur, qui narrat post caetera: Descendi in domum figuli, et ecce ipse faciebat opus in rota, et dissipatum est vas quod faciebat in manibus suis. Rursumque fecit ex eodem luto aliud vas, sicut placuit in conspectu ejus. Et factus est sermo Domini ad me dicens: Si non possum sicut iste figulus facere vos domus Israel, dicit Dominus? Ecce sicut lutum in manu figuli: sic vos estis in manibus meis domus Israel (Jer. XVIII, 3, 4). Illudque quod scriptum est: ego omnibus stellis praecepi, occasionem quibusdam tribuit, quod astra rationalia sint, et animam sensumque habeant. Neque enim, aiunt, praeciperet, nisi intelligentibus: non recordantes quod in Jona scriptum sit: Praecepit Dominus spiritui comburenti (Jonae, IV, 8). Et rursum: Praecepit vermi matutino (Ibid., VII). Et quod in Evangelio Salvator ventos et mare increpaverit (Luc. VIII), in quibus sensum atque rationem non esse, perspicuum est.

## (Vers. 14, seqq.)

Haec dicit Dominus: Labor Aegypti, et negotiatio Aethiopiae, et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, et tui erunt: post te ambulabunt, vincti manicis pergent: et te adorabunt, teque deprecabuntur: tantum in te est Deus, et non est absque te Deus. Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel, Salvator. Confusi sunt, et erubuerunt omnes: simul abierunt in confusionem fabricatores errorum. Israel salvatus est in Domino salute aeterna: non confundemini, et non erubescetis usque in saeculum saeculi.

LXX: Sic dicit Dominus Sabaoth: Laboravit Aegyptus, et negotiatio Aethiopum et Sabaim: viri excelsi ad te transibunt, et tui erunt servi, et te sequentur vincti manicis, et transibunt ad te, et adorabunt te, et in te orabunt: quoniam in te Deus est, et non est Deus absque te. Tu enim Deus es, et nesciebamus: Deus Israel Salvator: confundantur et erubescant omnes adversarii ejus, et

ambulent in confusione. ÷ Innovamini ad me insulae ** Israel salvatur a Domino salute aeterna: non confundentur neque erubescent usque in aeternum. Et in hoc loco qui sequuntur historiam, dicunt Aegyptum, et Aethiopes gentesque Sabaim, quae trans Aethiopiam sunt, servisse Cyro, et ei gentes ultimas fuisse subjectas: atque ex mirabili intellexisse victoria, quod in eo esset Dominus, et non esset alius praeter eum qui in illo habitaret Deus. Sed hoc quod sequitur: Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator, quomodo possit Cyri personae convenire, non intelligo. Nisi forte Theodotionis utantur editione, qui transtulit, In te est fortis, et non est alius praeter eum Deus: propterea tu fortis absconditus Deus Israel Salvator. Quodcumque se verterint, non valebunt laqueos veritatis effugere. Fac enim esse in Cyro Deum, et non esse alium praeter eum qui sit in Cyro Deus, quomodo Cyri personae dici conveniet, Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator? Ergo Deus in quo est Deus, Dominus noster Jesus Christus rectius intelligitur et verius, qui in Evangelio loquitur: Ego et Pater unus sumus (Joan. X, 30). [a 1Kb]  Qui Deus appellatur absconditus propter assumpti corporis sacramentum, et Deus Israel Salvator, quod interpretatur Jesus. Hic enim juxta Angelum Gabrielem salvabit populum suum (Luc I). Confusi sunt et erubuerunt omnes simul. Scribae videlicet et Pharisaei. Et abierunt in confusione fabricatores erroris, qui in toto mundo disseminavere mendacium, ut eum dicerent ab Apostolis furto esse sublatum (Matth. XXVIII). Israel autem salvatus in Domino salute aeterna, Apostolorum intelligitur chorus, et hi qui per Apostolos crediderunt. Unde dicitur ad eos: Non confundemini neque erubescetis, non solum in praesenti saeculo, sed et in futuro. Servisse autem ei Aegyptum, et Aethiopas, et Sabaim, excelsos viros atque sublimes, nemo dubitat, cum ei mundum videat esse subjectum, et ex paucarum nomine nationum, quae habitant in extremis finibus terrae, cunctos coelorum cardines, et omnia terrae littora ei creditura perspiciat. Unde pulchre quasi laborantibus

in errore idololatriae, cessare labor Aegypti nominatur. Nulla enim gens ita idololatriae dedita fuit, et tam innumerabilia portenta venerata est, quam Aegyptus, de qua supra (XIX, 1) legimus: Ecce Dominus ascendet super nubem levem, et ingredietur Aegyptum, et movebuntur simulacra Aegypti a facie ejus, et cor Aegypti tabescet in medio ejus. Porro quod in Septuaginta additum est: Innovamini ad me, insulae, sic exponere possumus, ut dicamus Ecclesias de gentibus congregatas innovari in Christo, appellari insulas, quod persecutorum rabiem procellasque sustineant, et fundatae supra petram, nulla turbinum mole quatiantur. Hebraei stulta contentione nituntur asserere, usque ad eum locum ubi legitur: Tantum in te est, Deus, et non est absque te, Deus, vel ad Jerusalem, vel ad Cyrum dici. Hoc autem quod sequitur: Vere tu es Deus absconditus, Deus Israel salvator, subito ad omnipotentem Deum apostropham fieri, cum etiam stultis perspicuum sit, unum contextum esse sermonis, nec posse sensum dividi qui in ipso narrationis ordine et ratione conjunctus est.

## (Vers. 18 seqq.)

Quia haec dicit Dominus, creans coelos, ipse Deus formans terram, et faciens eam, ipse plastes ejus: non in vanum creavit eam, ut habitaretur formavit illam: ego Dominus, et non est alius. Non in abscondito locutus sum, in loco terrae tenebroso. Non dixi semini Jacob: frustra quaerite me. Ego Dominus loquens justitiam, annuntians recta. Congregamini, et venite, et accedite simul, qui salvati estis ex gentibus: nescierunt qui levant lignum sculpturae suae; et rogant Deum non salvantem. Annuntiate, et venite, et consiliamini simul: quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc praedixit illud? Numquid non ego Dominus, et non est ultra Deus absque me? Deus justus et salvans non est praeter me. Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terrae: quia ego Deus, et non est alius. In memetipso juravi: egredietur de ore meo

justitiae verbum, et non revertetur: quia mihi curvabitur omne genu, et jurabit omnis lingua. Ergo in Domino dicet: Meae sunt justitiae et imperium: ad eum venient, et confundentur omnes qui repugnant ei. In Domino justificabitur, et laudabitur omne semen Israel:

LXX: Sic dicit Dominus qui fecit coelum: iste Deus qui ostendit terram, et fecit eam, ipse paravit eam: non in vacuum fecit eam, sed ut habitaretur plasmavit eam. Ego sum Dominus, et non est ultra. Non in abscondito locutus sum, neque in loco terrae tenebroso. Non dixi semini Jacob, vanum quaerite: ego sum Dominus qui loquor justitiam, annuntio veritatem. Congregamini et venite, et consulite simul qui salvamini de gentibus; non cognoverunt qui portant lignum sculpturae suae: orant deos non salvantes. Si annuntiant, appropinquent ut sciant simul, quis audita fecit haec ab initio, tunc annuntiatum est vobis. Nonne ego Dominus Deus, et non est alius absque me: justus et salvans non est praeter me. Convertimini ad me, et salvi eritis ab extremis terrae. Ego sum Deus, et non est alius. Per memetipsum juro: nisi egredietur de ore meo justitia: sermones mei non avertentur, quia mihi incurvabit omne genu, et jurabit et confitebitur omnis lingua Deo dicens: Justitia, et gloria ad eum veniet, et confundentur omnes qui separant se a Domino: justificabitur et in Deo glorificabitur omne semen filiorum Israel. Vocatis Aegypto, et Aethiopia, et Sabaim viris excelsis, per quae monstratur salus universarum gentium barbararum, et totius mundi ad Deum conversio, ostendit Deus justitiam suam; quod non solum Judaeorum sit Dominus, sed et gentium. Ipse enim coeli factor et terrae aequaliter omnium Deus est, et non ob aliam causam creavit terram, nisi ut hominum esset habitaculum, qui suum adorarent et intelligerent Creatorem, et idola universa contemnerent. Nam et in monte Sina, de excelso ejus vertice haec audientibus populis est locutus: Non erunt tibi dii alieni absque me, nec facies tibi idolum (Exod. XX, 3, 4). Sed melius, ut hoc

dictum de Evangelica praedicatione credamus: S. Moyses enim in abscondita solitudine uni tantum locutus est populo. Apostolorum autem sonus, in universum orbem exiit, et verba eorum usque ad terrae terminos pervenerunt (Psal. XVIII). Non dixi, inquit, semini Jacob, frustra quaerite me. Coelorum enim illis regna promisi, et primum ad eos locutus sum: Non veni nisi ad oves perditas domus Israel (Matth. XXV, 24). Et idcirco locutus sum justitiam et annuntiavi recta, sive veritatem, ut imaginibus Legis et caeremoniis derelictis, sequerentur Evangelii veritatem. Sed quia illi credere noluerunt, et indignos se judicaverunt salute; propterea dico gentibus: Congregamini de toto orbe; et venite et accedite ad me simul qui salvati estis ex gentibus. Per quod ostendit, non statim omnes gentes esse credituras, sed paulatim et per partes. Denique corripit eos qui in errore pristino permanserunt, dicens: Nescierunt qui levant lignum [Al. signum] sculpturae suae, et rogant Deum non salvantem. Et est sensus: Non intellexerunt sermones meos, simulacrorum suorum onere praegravati, et sperantes in eis, in quibus nulla est salus. Unde Apostolis praecipitur, ut opportune, importune annuntient veritatem (II Tim. IV), et ineant consilium salutis gentium. Hoc autem, id est, ut congregarentur et venirent ex gentibus plurimi qui salvarentur, ab initio locutus est Deus, et cunctorum Prophetarum ora cecinerunt, qui sermone Domini loquebantur, praeter quem nullus est alius. Filius enim non absque eo, sed in eo Deus est. Pulchreque jungit: Deus justus, nequaquam unius gentis, sed universi mundi, cui loquitur: Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terrae; impleto illo quod Pater Filio repromisit: Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae (Psal. II, 8). Juratque per semetipsum, quoniam sententia oris sui, et verbum quod protulit semel super salute gentium, nequaquam irritum fiat; sed repromissio ejus opere compleatur, dicentis supra: Convertimini ad me, et salvi eritis, omnes fines terrae. Jurat autem secundum Apostolum (Hebr. VI),

ut per duas res immobiles, in quibus impossibile est mentiri Deum, firmam consolationem habeamus; sed et hoc jurat, quod idolis derelictis, omne genu ei flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum, et omnis per illum juret lingua mortalium (Philipp. II). In quo perspicue significatur populus christianus. Moris est enim ecclesiastici Christo genu flectere: quod Judaei, mentis superbiam demonstrantes, omnino non faciunt. Sed et omnis lingua cunctarum gentium barbararum, non in synagogis, sed in Christi Ecclesiis confitetur Deum. Omnis autem lingua Christum confitens, in Domino loquetur, et dicet: Meae sunt justitiae, et meum est imperium, non populi Judaeorum. Ad eum cunctae gentes venient, et confundentur qui prius illius Evangelio repugnabant; et justificabitur atque laudabitur omne semen Israel, quorum praedicatio et sementis fertilissima in toto orbe uberrimos attulit fructus. Sive juxta Septuaginta omnis lingua jurans et confitens Deum, dicet quod justitia et gloria totius orbis ad eum veniat, et confundantur Judaei, qui se ab eo separant. Hi autem qui de stirpe filiorum Israel orti sunt, et qui de Apostolorum semine pullulaverunt, et crediderunt in Christo, habeant justitiam et gloriam sempiternam.

## (Cap. XLVI.---Vers. 1, 2.)

Confractus est Bel, contritus est Nabo: facta sunt simulacra eorum bestiis et jumentis, onera vestra gravi pondere usque ad lassitudinem. Contabuerunt, et contrita sunt simul: non potuerunt salvare portantem, et anima eorum in captivitatem ibit.

LXX: Cecidit Bel, contritus est Dagon: facta sunt sculptilia eorum in bestias et jumenta, portatis ea colligata quasi onus laboranti, et deficienti, et esurienti, nec praevalenti simul, qui non poterunt salvare de bello: ipsi autem captivi ducti sunt. Post vocationem gentium, et electionem credentium ex Israel, idola corruisse testatur.

Cecidit, cecidit, sive confractus est Bel: quem Graeci Belum, Latini Saturnum vocant. Cujus tanta fuit apud veteres religio, ut ei non solum humanas hostias captivorum ignobiliumque mortalium, sed et suos liberos immolarent. Nabo autem et ipsum idolum est, quod interpretatur prophetia et divinatio, quam post Evangelii veritatem in toto orbe conticuisse significat. Sive, juxta LXX, Dagon, qui tamen in Hebraico non habetur. Et est idolum Ascalonis, Gazae, et reliquarum urbium Philisthiim. Et a speciali transit ad generale: Facta sunt simulacra eorum bestiis et jumentis. Non quo simulacra gentilium in praedam bestiarum et jumentorum exposita sint: sed quo religio nationum, simulacra sint bestiarum, et brutorum animantium, quae maxime in Aegypto divino cultui consecrata sunt. De quibus Virgilius (Aeneid. VIII, 698):

Omnigenumque deum monstra, et latrator Anubis.

Nam et pleraque oppida eorum ex bestiis et jumentis habent nomina, κυνῶν a cane, λέων a leone: θμοῦῒς lingua Aegyptia ab hirco, λύκων a lupo, ut taceam de formidoloso et horribili cepe, et crepitu ventris inflati, quae Pelusiaca religio est. Haec, inquit, simulacra quae non possunt salvare portantes, nihil sunt aliud nisi onera sacerdotum, deprimentia eos usque ad lassitudinem. Quae cum captivitas venerit, pro pretio metallorum, de quibus facta sunt, ducuntur prima captiva, et animam suam sive portantium, liberare non possunt. Non quo muta simulacra habeant animam et aliquem sensum doloris, quae insensibilia sunt; sed quo --- vocetur anima, et membra earum rerum quae absque sensu et membris sunt. Alioquin et in Proverbiis legitur: In manu linguae, mors et vita. Vel hoc dicendum, quod gravissimum onus in gentibus, error fuerit idololatriae, quae cultores suos deprimebat ad terram, et salvare non poterat, animasque eorum faciebat diabolo et daemonibus esse captivas.

## (Vers. 1, 3 seqq.)

Audite me, domus Jacob, et omne residuum domus Israel, qui portamini a meo utero, qui gestamini a mea vulva. Usque ad senectam ego ipse, et usque ad canos ego portabo: ego feci, et ego feram: ego portabo, et salvabo. Cui assimilastis me, et adaequastis et comparastis me, et fecistis similem? Qui confertis aurum de sacculo, et argentum statera ponderatis, conducentes aurificem, ut faciat Deum: et procidunt et adorant. Portant illum in humeris, gestantes et ponentes in loco suo, et stabit, ac de loco suo non movebitur. Sed cum clamaverint ad eum, non audiet: de tribulatione non salvabit eos.

LXX: Audite me, domus Jacob, et omnes reliquiae Israel qui portamini de utero, et erudimini a parvulo usque ad senectutem. Ego sum, et donec senescatis ego sum: ego sustineo vos: ego feci, et ego portabo: ego suscipiam, et salvos vos faciam. Cui assimilastis me? Videte, excogitate qui erratis et confertis aurum de sacculo, et argentum in statera appenditis, et conducitis aurificem: fecerunt opera manuum, et incurvati adoraverunt: portant illud in humeris, et vadunt. Si autem posuerint illud in loco suo, manet, et non movebitur: et qui clamaverit ad illud, non audiet, et de malis non liberabit eum. Nequaquam eum appellat Jacob, nec Israel, quod et ipsum absque conjunctione servi et pueri et electi in sugillationem populi dici supra exposuimus: sed multo vilius, domus Jacob, et reliquias Israel, ob propinquitatem carnis et sanguinis, et quasi faeces reliquiarum Israel. Docetque eos instar puerorum atque lactentium, ita a Deo, quasi matris utero, et vulva praegnantis, ex Aegypto esse portatos. Non quo ineffabilis Dei incomprehensibilisque majestas, aut uterum habeat, aut vulvam, pedesque, et manus, et caetera corporis membra; sed quo nos affectum Dei per nostra verba

discamus. Alioquin et in centesimo nono psalmo ex persona Dei hoc idem canitur. In eo enim loco ubi Septuaginta transtulerunt, ex utero ante luciferum genui te, in Hebraeo scriptum habet, MEREHEM quod interpretatur, de vulva. In praesentiarum vero non solum de utero, et de vulva scriptum est, hoc est, MEBETEN et MEREHEM sed MENNI quae praepositio significat ex meo utero, sive ex mea vulva. Et est sensus: Qui vos genui ab infantia, et meo utero vulvaque gestavi, ipse usque ad senectutem protegam, non meam, sed vestram, ut eos doceat divina misericordia esse salvandos. Creator enim omnium parcit creaturae suae, et pastor bonus ponit animam suam pro ovibus suis (Joan. X). Qui autem mercenarius est, cujus non sunt oves, cum viderit lupum, fugit. Quia igitur feci et genui liberos, ego feram et ipse portabo. Juxta Septuaginta qui dixerunt: Qui portamini ex utero, et erudimini ab infantia usque ad senectutem, hoc significat, quod frustra legem Dei die ac nocte meditentur, non habentes notitiam Dei, sed hominum ac bestiarum simulacra venerantes: intantum ut correptione indigeant prophetali, per quam loquitur ad eos Deus: Cui assimilastis me, et adaequastis? et reliqua: quod aurum argentumque contulerint, et conducto statuario fecerint idola, et adoraverint opera manuum suarum, quae portentur humeris, et confixa atque stabilita se non valeant commovere, nec prodesse his a quibus coluntur. Manifesta transcurrimus, ut Christi misericordia clausa reseremus.

## (Vers. 8 seqq.)

Mementote istud, et fundamini, et redite, praevaricatores, ad cor. Recordamini prioris saeculi, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei. Annuntians ab exordio novissima, et ab initio quae necdum facta sunt, dicens: consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet. Vocans ab Oriente avem, et

de terra longinqua virum voluntatis meae; et locutus sum, et adducam illud, creavi et faciam illud.

LXX: Mementote horum, et ingemiscite: agite poenitentiam qui erratis. Revertimini corde, et mementote priorum a saeculo: quoniam ego sum Deus, et non est ultra praeter me. Qui annuntio prius novissima antequam fiant et compleantur, et dixi, omnis voluntas mea stabit, et cuncta quae cogitavi facium. Qui voco ab Oriente avem, et de terra longinqua, de quibus cogitavi: locutus sum, et adduxi: creavi et feci. Quia vos ipse genui, ipse portavi, et ab infantia usque ad senectutem, non vestro merito, sed mea pietate salvamini: deserite idola quae fecistis, et ad unius Dei cultum revertimini. Agite poenitentiam, ingemiscite pro errore qui vos tenuit; immo fundamini, ne rursum subitus idololatriae vos turbo subvertat: et redite ad cor, id est, ad mentem vestram, qui simulacra venerantes velut furiosi in ligna impingebatis et lapides. Ab initio considerate mundi, quod praeter me nullus sit Deus, nec alius potuerit scire ventura, nisi ego qui per Prophetas nuntio quae facturus sum: ut cum praedicta complevero, divinatione probem divinitatem. Ego enim mysterium quod retro cunctis generationibus fuerat ignoratum, immo consilium meum staturum esse nunc dico; ut cum illud videritis effectum, nullum sciatis Deum, nisi eum qui haec futura cognovit, immo praecepit fieri. Ego sum qui ab Oriente voco avem, ut putant Hebraei, Cyrum regem Persarum, sive Darium Medorum principem; et de terra longinqua virum voluntatis meae, qui expleat omnem voluntatem meam contra Babylonem atque Chaldaeos. Sive ut nos verum esse convincimus, Dominum Salvatorem, de quo et Balaam vaticinatur: Orietur stella ex Jacob, et homo ex Israel (Num. XXIV, 17), cujus nomen est Oriens (Zach. VI), quem adoraverunt Magi de Oriente venientes. Hic enim loquitur in Psalmis: Deus, ut faciam voluntatem tuam volui (Psal. XXXIX, 9), de quo locutus est Pater: et sponsionem suam opere comprobavit. LXX, pro eo quod nos de

Hebraeo expressimus, virum voluntatis meae, posuerunt, de quibus cogitavi. Ergo juxta eos vocatas de Oriente aves, Angelorum possumus intelligere ministeria, quae ad imperium Domini in toto orbe discurrunt; qui sunt administratorii spiritus, et mittuntur ob salutem credentium. De quibus et in psalmo canitur: Qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos ignem urentem (Ps. CIII, 4).

## (Vers. 12, 13.)

Audite me, duro corde, qui longe estis a justitia. Prope feci justitiam meam: non elongabitur, et salus mea non morabitur: dabo in Sion salutem, et in Israel gloriam meam.

LXX: Audite me qui perdidistis cor, qui longe estis a justitia. Adduxi justitiam meam, et salutem quae a me est, tardare non faciam. Dedi in Sion salutem et Israeli gloriam. Quibus supra dixerat: Audite me, domus Jacob, et omne residuum domus Israel. Et iterum: Redite, praevaricatores, ad cor, etiam nunc juxta Hebraicum propter incredulitatem appellat eos duro corde, et juxta Septuaginta, qui cor mentemque perdiderunt. Quod secutus vir eruditissimus, et dignus nomine suo Stephanus martyr in Judaeorum loquitur concione: Dura cervice et incircumcisi cordibus auribusque, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri (Act. VII, 51). Hi igitur longe sunt a justitia Dei, quia non crediderunt in eam, quam pro sua clementia Deus fecit esse vicinam, et venire ad terras, nequaquam vult tardare nec procul fieri. Dedit enim Sion salutare suum, et Israeli gloriam suam. Hoc de vaticinio dictum sit futurorum, et de adventu Domini Salvatoris. Caeterum juxta historiam datur Sion salus, et Israel gloria; quoniam Deus prope fecit suam esse justitiam, ut vocaret ab Oriente avem, et de terra longinqua virum voluntatis suae, qui Israelis et subversae Jerusalem ulcisceretur injurias, et Medis Persisque

superantibus, Babylonem Chaldaeosque deleret, sicut sequentia Prophetae verba testantur.

## (Cap. XLVII.---Vers. 1 seqq.)

Descende, sede in pulvere, virgo filia Babylonis: sede in terra, non est solium filiae Chaldaeorum, quia ultra non vocaberis mollis et tenera. Tolle molam, et mole farinam: denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina. Revelabitur ignominia tua, et videbitur opprobrium tuum: ultionem capiam, et non resistet mihi homo.

LXX: Descende, sede super terram, virgo filia Babylonis, sede in terram. Non est solium filiae Chaldaeorum, quoniam nequaquam ultra vocaberis mollis et tenera. Tolle molam, mole farinam. Revela operimentum tuum, denuda canos, discooperi tibias, transi flumina: revelabitur ignominia tua, apparebunt opprobria tua. Quod justum est de te auferam, nequaquam ultra tradam hominibus. Quomodo in Ezechiele sub figura navis et omnis instrumenti ejus, Tyri ornatus exponitur, quae negotiationibus dedita est (Ezech. XXVI), et propter aquarum abundantiam rex Aegypti draco appellatur, et squamae illius juncusque ac papyrus et pisciculi describuntur, et Jerusalem cum idolis fornicationem scortorum ac lupanaris similitudo testatur: sic in praesenti loco sub persona captivae mulieris, quae quondam regina fuerit, Babylonis servitus indicatur: diciturque ei ut descendat de regni superbia, et in pulvere sedeat. Virgo autem appellatur et filia: vel quia omnes homines creatura Dei sumus; vel ob luxuriam et ornatum urbis quondam potentissimae, quae cum senuisset, et vicina esset occasui, virgunculam, et puellam se esse jactabat. Licet ex eo quod juxta LXX scriptum est, filia Babylonis, non ipsam Babylonem quidam, sed Romanam urbem interpretentur, quae in Apocalypsi Joannis (Apocal. XIV) et in Epistola Petri (II

Petr. V), Babylon specialiter appellatur, et cuncta quae nunc ad Babylonem dicuntur, illius ruinae convenire testentur, contra quem vocanda sit avis, Deique justitia: ut postquam Sion, id est, Ecclesia salvata fuerit, illa pereat in aeternum. Dicitur ergo Babyloni reginae et filiae Chaldaeorum (a Chaldaeis enim condita est) quod nequaquam ultra vocetur mollis et tenera et deliciis affluens, quae cunctarum gentium manibus portabatur; ita ut terrae plantas vix imprimeret: praecipiturque ei ut tollat molam, et molat farinam, quod est durae captivitatis, et extremae servitutis indicium; ut quae quondam regina fuerat, postea molendae farinae operi serviat. Sed quia sequitur: Denuda turpitudinem tuam, etiam mola ab Hebraeis figuraliter intelligitur, quod scilicet in morem scorti, victorum libidini pateat. Illudque quod in Judicum libro de Samson scribitur (Judic. XVI), ad molam eum a Philisthiim esse damnatum, hoc significare volunt, quod pro sobole robustissimus virorum, hoc in allophylas mulieres facere sit compulsus. In eo ubi nos interpretati sumus, denuda turpitudinem tuam, pro quo LXX transtulerunt, revela operimentum; Theodotio ipsum verbum Hebraicum posuit, SAMTHECH; Aquila SEMMATHECH; Symmachus --- quod nos exprimere possumus taciturnitatem tuam, quod taceri debeat prae verecundia. Quod quidem et in Cantico Canticorum legimus, ubi sponsae pulchritudo describitur: ad extremum infert: Absque taciturnitate tua (Cant. IV): nolentibus qui interpretati sunt transferre nomen, quod in sancta Scriptura sonaret turpitudinem. Recteque contra Babylonem inverecundis utitur nominibus (licet nulla sit turpitudo, humani corporis membrum vocare nomine suo), cui praecipitur ut nudet pectora, et crura ac femina aperiat, et vadat in captivitatem, videaturque ignominia ejus, et opprobrio pateat sempiterno. Et hoc Dominus fecisse se dicit, ut ultionem caperet de ea, quae oppressit populum suum, et nullum pro ea audiat precatorem, qui iram Domini suo lenire conetur occursu. Significat autem Angelum gentis Babyloniae praesidem, qui cum caeteris

Angelis loquitur: Curavimus Babylonem, et non est curata. Quod autem Septuaginta transtulerunt, quod justum est de te auferam, nequaquam ultra tradam hominibus, subauditur Babylonem: vel certe hoc quod justum est, et ablatum de Babylone. Disputant Stoici, multa re turpia, prava hominum consuetudine, verbis honesta esse, ut parricidium, adulterium, homicidium, incestum, et caetera his similia. Rursumque re honesta, nominibus videri turpia; ut liberos procreare, inflationem ventris crepitu digerere, alvum relevare stercore, vesicam urinae effusione laxare: denique non posse nos, ut dicimus, a ruta rutulam, sic --- mentae facere. Ergo SEMMATHEC, quod Aquila posuit, ut diximus, verenda mulieris appellantur. Cujus etymologia apud eos sonat, sitiens tuus; ut inexpletam Babylonis indicet voluptatem.

## (Vers. 4 seqq.)

Redemptor noster Dominus exercituum, nomen illius. Sanctus Israel. Sede tacens, et intra in tenebras, filia Chaldaeorum; quia non vocaberis ultra domina regnorum, iratus sum super populum meum, contaminavi haereditatem meam, et dedi eos in manu tua: non posuisti eis misericordias. Super senem aggravasti jugum tuum valde, et dixisti, in sempiternum ero domina: non posuisti haec super cor tuum, neque recordata es novissimi tui.

LXX: Dixit qui eruit te Dominus sabaoth, nomen ejus, Sanctus Israel. Sede compuncta, ingredere in tenebras, filia Chaldaeorum: nequaquam ultra vocaberis fortitudo regni: iratus sum contra populum meum, contaminavi haereditatem meam. Ego dedi eos in manum tuam, tu vero non dedisti eis misericordiam: seni aggravasti jugum valde, et dixisti, in aeternum ero domina: non intellexisti haec in corde tuo, neque recordata es novissimorum. Primus versus juxta Septuaginta cum superioribus copulatur, ut sit sensus: Et haec faciet qui eruit te

Dominus sabaoth, nomen ejus Sanctus Israel. Porro juxta Hebraicum, ex persona populi Propheta loquitur, quod haec fecerit contra Babylonem Dominus exercituum, cujus nomen sit Sanctus Israel. Rursumque ad ipsam Babylonem sermo dirigitur. Sede tacens, sive compuncta, et tuorum criminum recordare. Ingredere tenebras: quia prae confusione et ignominia lucem ferre non sustines: nequaquam vocaberis, non unius regni, sed nec omnium regnorum domina. Simulque quia occulta quaestio nascebatur: cur irasceretur Deus adversus Chaldaeos, quos ipse misit ad capiendum Israel: respondit, iratum se contra populum suum, corripere eos voluisse, non perdere, verberare, non occidere. Illos autem abusos esse crudelitate sua, et plus imposuisse plagarum quam Dei ultio flagitabat: magnumque Babyloniae crudelitatis indicium est, ne senibus quidem pepercisse, quorum aetas etiam inter hostes venerabilis est. Sed et hoc signum superbiae, quod praesenti felicitate decepta, futurorum non cogitarit ambigua. Ergo semper in prosperis debemus cavere ventura: nec traditos nobis opprimere, qui ad hoc erudiuntur, ut meliores fiant.

## (Vers. 8, seqq.)

Et nunc audi haec, delicata et habitans confidenter, quae dicis in corde tuo: Ego sum, et non est praeter me amplius: non sedebo vidua, et ignorabo sterilitatem. Et venient tibi duo haec subito in die una, sterilitas et viduitas: universa venerunt super te, propter multitudinem maleficiorum tuorum, et propter duritiam incantatorum tuorum vehementem. Et fiduciam habuisti in malitia tua, et dixisti: Non est qui videat me: sapientia tua et scientia tua haec deceperunt te, et dixisti in corde tuo: ego sum, et praeter me non est altera. Veniet super te malum, et nescies ortum ejus, et irruet super te calamitas, quam non poteris expiare, veniet super te repente miseria, quam nescies.

Duo simul venient Babyloni, sterilitas et viduitas, ut nec filios habeat, id est, subjectos sibi populos; nec virum, quem regem possumus intelligere: quae dum non sperat, repente sustinuit. Neque enim poterat arbitrari quod Persae, nullius ante fortitudinis, eam, Cyro regnante, superarent, et suae subjicerent potestati. Quae perpessa es, inquit, non solum propter superbiam et abundantiam cunctarum opum atque delicias, sed et propter multitudinem maleficiorum tuorum, et incantatorum tuorum, in quibus habuisti fiduciam. Et veniet super te malum quod antea nesciebas, et cujus ignorabas ortum. Sive ut Septuaginta transtulerunt: Veniet super te perditio, et nescies: fovea, et incides in eam: ut quae cunctis gentibus parabas captivitatis malum, ipsa incidas in foveam quam parasti. Quae perspicua sunt, cito sermone transcurrimus.

## (Vers. 12 seqq.)

Sta cum incantatoribus tuis, et cum multitudine maleficiorum tuorum, in quibus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi, aut si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine consiliorum tuorum: stent et salvent te augures coeli, qui contemplabantur sidera, et supputabant menses, ut ex eis annuntiarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos: non liberabunt animas suas de manu flammae: non sunt prunae quibus calefiant, nec focus ut sedeant ad eum: sic facta sunt tibi in quibuscumque laboraveras: negotiatores tui ab adolescentia tua unusquisque in via sua erraverunt: non est qui salvet te.

LXX: Sta nunc in incantationibus tuis et in multis maleficiis tuis, quae discebas ab adolescentia tua, si prodesse tibi possunt: et laborasti in consiliis tuis: stent et salvam te faciant astrologi coeli, qui contemplantur stellas: annuntient tibi quid venturum sit super te. Ecce omnes quasi phrygana in igne comburentur: et non eruent

animam suam de flamma; quia habes carbones ignis, sedebis super eos. Hi erunt tibi in adjutorium. Laborasti in commutatione tua ab adolescentia: homo in semetipso erravit: tibi autem non erit salus. Habuisse Babylonem omnemque Chaldaeam, incantatorum et augurum, et hariolorum et Gazarenorum studium, quos nos aruspices appellamus, Danielis Prophetae lectio probat, qui ad eorum consilium, cuncta reges Babylonios fecisse commemorat. Pro eo quoque quod nos juxta Symmachum et Theodotionem interpretati sumus: Stent et salvent te augures coeli, Septuaginta manifestius transtulerunt, Stent et salvam te faciant astrologi coeli; qui vulgo appellantur mathematici, et ex astrorum cursu lapsuque siderum, res humanas regi arbitrantur. Unde et Magi de Oriente venerunt, Domini stellam se vidisse dicentes, vel ex artis scientia, vel ex vaticinio Balaam Prophetae sui, qui in Numeris dixerat: Orietur stella ex Jacob, et homo de Israel (Num. XXIV, 17). Isti igitur qui supputant menses, annosque dinumerant, et horarum momenta librantes, futurorum scientiam pollicentur, dicant tibi quid super te Dominus cogitaverit, illisque tacentibus, quid venturum sit, Propheta respondit: Ecce facti sunt quasi stipula, ignis devoravit eos; ut qui salutem aliis promittebant, sua ignorarent supplicia: nec dubium quin, ardente urbe, habitatores ejus vorax flamma consumpserit. Quodque sequitur: Non sunt prunae quibus calefiant, nec focus ut sedeant ad eum, sic Hebraei edisserunt. Nullam habent caloris scientiam, nec illuminantem sensum, qui eorum tenebras possit discutere, et frigus erroris expellere. Pro quo nescio quid volentes Septuaginta transtulerunt: Habes carbones ignis, sedebis super eos: hi erunt tibi in adjutorium; nisi forte possumus hoc dicere, quod multo utilior sit ignis et incendium Babyloni, quam fuerunt magi et Gazareni, astrologi et incantatores. Hic enim eos per poenas atque supplicia ad poenitentiam provocat; illi per errorem ducunt ad superbiam. Omnis labor ejus et negotiatores illius, quos magos intelligimus, hoc profecit, ut

unusquisque sua erraret via; et ipse perditus salutem alteri non praeberet. Interrogemus eos qui diversas asserunt esse naturas, utrum Babylon malae naturae sit, an bonae? Si malae dixerint, quod eos responsuros esse non dubium est, quomodo provocatur ad poenitentiam, et dicitur ei: Sede compuncta, intra in tenebras, filia Chaldaeorum. Ac deinceps post enumerationem peccatorum et criminum, Habes carbones ignis, sedebis super eos: hi erunt tibi in adjutorium? Et quid sibi velit quod infertur juxta eosdem Septuaginta: Laborasti in commutatione ab adolescentia? Quae est ista commutatio? Utique de bono in malum. Ex quo perspicuum est, natura bonos, voluntate malos fieri. Denique infertur: Homo in semetipso erravit, non natura, sed mentis arbitrio.

## (Cap. XLVIII.---Vers. 1 seqq.)

Audite haec, domus Jacob, qui vocamini nomine Israel, et de aquis Juda existis: qui juratis in nomine Domini, et Dei Israel recordamini, non in veritate neque in justitia. De civitate enim sancta vocati sunt: et super Deum Israel constabiliti sunt: Dominus exercituum nomen ejus.

Haec Chaldaeis et Babyloniis ventura praedixi, et necesse est quod per Prophetas meos locutus sum, rebus expleri. Tu autem, domus Jacob, et qui vocamini nomine Israel, et qui de aqua Juda existis, et caetera quae sequuntur, audi attentius quae dicturus sum. Et notandum quod nequaquam eos appellet Jacob, sed domum Jacob; nec Israel, qui hoc falso appellantur nomine, cum opus non habeant nominis. Et de aquis, inquit, Juda existis, aquas vocans pro semine, ut nequaquam eos virtutum Patriarcharum filios ostenderet esse, sed carnium. Et recte aquas Juda appellavit, quia sola tunc in terra Judaea adhuc permanebat tribus; et semen David illo tempore regium servabatur. Qui, inquit, jurastis in nomine

Domini, non ut honoretis Dominum; sed ut assumpto nomine faciatis injuriam, dum eum testem vestri vultis esse mendacii, et requiescitis in sancta civitate, et super Dominum Israel innitimini; ut jactetis habitatores vos esse urbis Jerusalem, et Domini sabaoth habere privilegium, cum cassa Jacob, Israel et urbis sanctae, et Dei omnipotentis assumatis vocabula.

## (Vers. 3, 4 seqq.)

Priora ex tunc annuntiavi, et ex ore meo exierunt, et audita feci ea: repente operatus sum, et venerunt. Scivi enim quia durus es tu, et nervus ferreus cervix tua, et frons tua aenea. Praedixi tibi ex tunc: antequam venirent, indicavi tibi, ne forte diceres: idola mea fecerunt haec, et sculptilia mea, conflatilia mandaverunt ista. Quae audisti, vide omnia: vos autem non annuntiastis. Audita feci tibi nova ex tunc: et conservata quae nescis: modo creata sunt, et non ex tunc: et ante diem, et non audisti ea, ne forte dicas: ecce cognovi ea. Neque audisti, neque cognovisti, neque ex tunc aperta est auris tua: scio enim, quia praevaricans praevaricaberis, et transgressorem ex ventre vocavi te. Propter nomen meum longe faciam furorem meum: et laude mea infrenabo te, ne intereas. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum: elegi te in camino paupertatis. Propter me, propter me faciam, ut non blasphemer: et gloriam meam alteri non dabo.

LXX: Priora adhuc annuntiavi: et de ore meo egressa sunt: et auditum factum est: subito feci, et venerunt, scio quia durus es: et nervus ferreus collum tuum, et frons tua aenea: et annuntiavi tibi olim antequam venirent super te. Auditum tibi feci: ne forte diceres, quia idola mihi fecerunt, sculptilia et conflatilia mandaverunt mihi. Audistis omnia, et vos non cognovistis: sed audita tibi feci nova ea nunc quae futura sunt. Et non dixisti, nunc fiunt, et non olim: et non in prioribus diebus. Ne dicas etiam novi ea: neque nosti, neque scis, neque a principio aperui

aures tuas. Scio enim quoniam praevaricans praevaricaberis: et iniquus adhuc ex utero vocaberis. Propter nomen meum ostendam tibi furorem meum: et gloriosa mea inferam super te, ut non te interficiam. Ecce vendidi te non propter argentum: erui autem te de fornace paupertatis: propter me faciam, quia nomen meum polluitur: et gloriam meam alteri non dabo. Praedico tibi Babylonios a Medis Persisque superandos, et repente faciam quod minatus sum, ne cum venerint quae praedicta sunt, vel deorum nutu quos colis, vel fortuito ea existimes accidisse. Nec jacto scientiam futurorum, sed ob incredulitatem tuam loquor, cujus cor incredulum et cervicem ferream, ac frontem aeneam ab initio esse cognovi. Ecce audisti omnia quae ventura sunt, et tamen celas silentio veritatem. Nec narro praeterita quibus saepe mea potentia comprobata est, quomodo eduxerim populum de Aegypto, Aegyptios in mari submerserim Rubro, terram repromissionis tradiderim, gentes vobis varias subjugarim. Sed nova quae contra Babylonem facturus sum, nuntio, ut impudens oris tui mendacium confutetur, qui te asseris scire quae nescis. Ab initio enim meorum praevaricator es mandatorum; et de ventre transgressorem vocavit te Deus, quando de Aegypto liberatus, quasi meo ventre conceptus es, et educatus, et eruditus. Caput bovis Aegypti desiderasti, dicens: Hi sunt dii tui, Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Non igitur tuo merito, sed mea misericordia furorem meum distuli, ne penitus interires, et ob laudem nominis mei infrenabo te, ut me quasi jumentum et in frenis equus sequaris invitus. Ecce excoxi te, id est, probavi, quomodo conflatur argentum. Sive non in divitiis, sed in fornace paupertatis probare te volui. Ex quo ostenditur et divitiis et paupertate plerosque tentari, si aut illis male abutantur, aut penuriam nequaquam virtute sustineant. Propter me ergo faciam, ne blasphemetur nomen meum in gentibus, et putent vos non mea ira, sed idolorum suorum auxilio esse superatos. Quodque infert, gloriam meam alteri non dabo, hoc significat, ne idola

putentur oppressisse populum Dei. Vel certe cum dicit, alteri non dabo, ostendit se alteri jam dedisse, alteri enim ad distinctionem prioris dicitur. Plerique nostrorum, ut juxta LXX Interpretes pauca perstringam, de Christi adventu autumant prophetari, quod repente veniat insperatus, et durissimo populo sui demonstret praesentiam; cui numquam Deus aures aperuerit, quia incrassatum fuerit cor ejus, et auribus suis graviter audierit. Statimque ut Dominus de utero virginali profusus est, transgressor et iniquus sit appellatus, quaerens eum interficere. Quodque jungit: Propter nomen meum ostendam tibi furorem meum, et gloriosa mea inducam super te, sensu utitur Apostoli, sive apostolus Paulus (Rom. I) de hoc loco sumit testimonium, ut reveletur ira Dei ad terrendos eos qui peccant, et postea conversis gloria praebeatur: Ecce, ait, vendidi te non in pecunia, sed vendidi in peccatis tuis, et erui te de fornace paupertatis. Propter quod et Salomon (Prov. III) divitias et paupertatem habere non vult, sed tantum necessaria postulat, ne aut illis elevetur cor ejus in superbiam, aut in ista compellatur facere quod non vult, et Deum pressus inopia blasphemare. Unde et Apostolus: Habentes, inquit, victum et vestimentum, his contenti simus (I Tim. VI, 8).

## (Vers. 12, 13 seqq.)

Audi me, Jacob et Israel, quem ego voco. Ego ipse ego primus, et ego novissimus. Manus quoque mea fundavit terram, et dextera mea mensa est coelos: ego vocabo eos, et stabunt simul. Congregamini omnes vos et audite: quis ex eis annuntiavit haec? Dominus dilexit eum: faciet voluntatem suam in Babylone et brachium suum in Chaldaeis. Ego ego locutus sum et vocavi eum: adduxi eum, et directa est via ejus. Accedite ad me, et audite hoc: non a principio in abscondito locutus sum: ex tempore antequam fieret, ibi eram. Et nunc Dominus Deus misit me, et spiritus ejus.

LXX: Audi me, Jacob et Israel, quem ego voco. Ego sum primus, et ego in sempiternum: et manus mea fundavit terram, et dextera mea firmavit coelum. Vocabo eos, et stabunt simul: et congregabuntur omnes, et audient: Quis eis nuntiavit haec? Diligens te, feci voluntatem tuam super Babylonem: ut auferrem semen Chaldaeorum. Ego locutus sum et ego vocavi. Adduxi eum et prosperam feci viam ejus. Adducite ad me, et audite haec: Non a principio in abscondito locutus sum: quando fiebat, ibi eram. Et nunc Dominus Deus misit me, et spiritus ejus. Quibus ante jam dixerat: Audite haec, domus Jacob, qui vocamini nomine Israel, et de aquis Juda existis, nunc ad eosdem loquitur, Audi me, Jacob et Israel, quem ego voco. Multi enim vocati, et pauci electi (Matth. XXII). Unde non electos, quia necdum receperant Salvatorem; sed vocatos nuncupat. Ego sum, inquit Α et Ω, primus et novissimus, qui vivo, et fui mortuus (Apoc. XXII); ut vitam ad principium referas, novissimum ad eum, qui mortuus est. Qui se exinanivit formam servi accipiens, et factus est obediens Patri; humiliavit seipsum usque ad mortem, et mortem crucis (Philip. II). Manus mea fundavit terram. Unde et in Proverbiis loquitur: Deus sapientia sua fundavit terram, et dextera illius mensa est (Prov. III, 19), sive firmavit coelos vel coelum, ut LXX transtulerunt. Vocat autem coelos, ut ejus pareant jussioni, et enarrent gloriam illius. Si autem coeli obediunt voluntati Domini, et suo currunt ordine: quid gloriatur terra et cinis (Eccli. X), et ignorat fragilitatem suam? Congregamini omnes vos, et audite, vel coeli, vel universa creatura, vel omnis multitudo Israel. Quae sunt quae jubentur audire? Quod Dominus dilexerit eum, haud dubium quin Cyrum Dariumque significet, qui fecit voluntatem Domini contra Babylonem, et brachium suum exercuit in Chaldaeis. Et ipse locutus est et vocavit eum nomine suo, et adduxit eum, et directa est via ejus, ut nullus viribus ejus auderet resistere. Unde provocat eos ut accedant et audiant, et Domino praedicente cognoscant venturum esse regem Persarum atque Medorum, qui subruat Babylonem,

deleatque Chaldaeos. Et ut haec annuntiet, dicit se Propheta missum a Domino et spiritu ejus. Hoc juxta Hebraeos et eorum opinionem. Caeterum juxta Symmachum, qui interpretatus est: Quis ei annuntiavit haec? quem Dominus dilexit, qui facit voluntatem ejus in Babylone: et juxta Septuaginta, ut auferat semen Chaldaeorum, ad Domini personam refertur: qui vere dilectus a Patre, et qui fecit omnem voluntatem Patris, et qui subvertit in Babylone, hoc est, in confusione hujus mundi omnem semen Chaldaeorum, qui daemones interpretantur. Ipse locutus est, et audivit Filium, et adduxit illum, qui loquitur ad credentes: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis (Matth. XI, 28). Et audite haec quae a principio in abscondito sum locutus, hoc est per aenigmata et mysteria Prophetarum, quod cunctis retro generationibus fuerat ignoratum. Quando fiebant omnia a Patre, ipse erat cum eo, qui adgaudebat, qui etiam nunc dicit: Ego qui semper eram cum Patre, et in Patre, et sine Patre numquam eram, etiam nunc loquor (Joan. XIV): et juxta fragilitatem carnis assumptae dico, quod Dominus Deus miserit me, et spiritus ejus: brevique versiculo, Trinitatis nobis ostenditur sacramentum.

## (Vers. 17, 18 seqq.)

Haec dicit Dominus, redemptor tuus sanctus Israel: Ego Dominus Deus tuus docens te utilia, gubernans te in via qua ambulas. Utinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris. Et fuisset sicut arena semen tuum, et stirps uteri tui ut lapilli ejus: non interissent, et non fuisset attritum nomen ejus a facie mea. Quia Israeli futura promisit, reddit causas quare eos prius afflixerit: quas si vitaverit, nequaquam similia patiatur. Si, inquit, attendisses mandata mea: ut Septuaginta transtulerunt: vel certe optantis affectu, utinam attendisses mandata mea: quae si fecisses; fuisset sicut flumina pax tua, et justitia tua sicut gurgites maris: abundantiam omnium rerum

copiamque significans. Quodque sequitur: et fuisset quasi arena semen tuum, et stirps uteri tui ut lapilli ejus: videtur quidem permanere in populo Judaeorum, qui usque in praesentem diem, instar vermiculorum pullulant filios et nepotes; sed quomodo hoc in repromissione accipiendum est, cum pacem justitiamque non habeant? Aut enim iratus est eis, aut placatus. Si iratus, quomodo semen ejus quotidie multiplicatur? Si placatus, quomodo serviunt, et pacem justitiamque non possident? Ex quo perspicuum est de Apostolico dici nunc semine, de quo et supra (Ad cap. I) legimus: Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. Quod quia illo tempore nequaquam videtur expletum, in Christi completur adventu: et ante faciem illius semen permanet Israelis.

## (Vers. 20, 21, 22.)

Egredimini de Babylone, fugite a Chaldaeis: in voce exsultationis annuntiate, auditum facite hoc, afferte illud usque ad extremum terrae, et dicite: Redemit Dominus servum suum Jacob. Non sitierunt in deserto cum educeret eos; aquam de petra produxit eis, et scidit petram, et fluxerunt aquae. Non est pax impiis, dicit Dominus. Qui supra in eo loco, ubi scriptum est: Ego ego locutus sum, et vocavi eam: adduxi eum, et directa est via ejus, super Cyro Darioque intelligunt, etiam haec ad illius referunt tempora; quando egressus est populus de Babylone, et fugit de Chaldaeis; et redemptus est a Domino Deo suo. Hoc quoque quod dicitur: Non sitierunt in deserto cum educeret eos, aquam de petra produxit eis; et scidit petram, et fluxerunt aquae: licet secundum historiam expletum docere non valeant; neque enim sub Zorobabel et Ezra venerunt per desertum, et scissa petra praebuit eis aquas, quod de Aegypto exeuntibus accidisse narratur: tamen hyperbolice in similitudinem prioris felicitatis impleta testantur, quando per desertum nationum venerunt in Judaeam, et de captivitate sunt liberati. Et ut sciamus, inquiunt, non esse de Christo, sed

de Cyro prophetatum, jungitur: Non est pax impiis, dicit Dominus: et esse sensum, Perfecta felicitas non erit nisi sub Christo, quod in ultimo tempore reservatur. Porro qui et verius et rectius haec referunt ad Salvatoris adventum (Inf. ad cap. LXI, 1), de quo dicitur: Annuntiare pauperibus misit me, praedicare captivis remissionem (Luc. IV, 18, 19), cohortationem esse intelligunt eorum qui Evangelium annuntiant ipsius Domini Salvatoris, ut egrediamur de Babylone, id est, confusione istius mundi; et fugiamus Chaldaeos, de quibus crebro dictum est: Redemit enim Dominus servum suum Jacob pretiosissimo sanguine suo, et adduxit per desertum saeculi, et aquam scidit de petra. Super qua et Apostolus loquitur: Petra autem erat Christus (I Cor. X, 4). Scinditur autem sermo divinus, et in multas partes dividitur, ut quem totum suscipere non possumus, sumamus in partibus. Ac ne putaretur ista praedicatio dici omni semini Jacob, et non his tantum qui per Apostolos credituri sunt, infertur et jungitur: Non est pax impiis, dicit Dominus: illis videlicet qui in errore pristino permanserunt; qui non meruerunt bibere de petra. Cujus ut nove loquar, latus lancea vulneratum, aquis fluxit et sanguine (Joan. I), baptismum nobis et martyrium dedicans.

## (Cap. XLIX.---Vers. 1 seqq.)

Audite, insulae, et attendite populi de longe: Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meae recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum: in umbra manus suae protexit me. Et posuit me sicut sagittam electam: in pharetra sua abscondit me; et dixit mihi: Servus meus es tu, Israel, quia in te gloriabor. Et ego dixi: In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi: ergo judicium meum cum Domino, et opus meum cum Deo meo.

LXX: Audite me, insulae, et attendite gentes. Post multum tempus stabit, dicit Dominus. De ventre vocavit

me, et ex utero matris meae vocavit nomen meum. Et posuit os meum quasi gladium acutum, et sub protectione manus suae abscondit me. Posuit me quasi sagittam electam, et in pharetra sua abscondit me. Et dixit mihi: Servus meus es tu, Israel: et in te glorificabor. Et ego dixi sine causa laboravi, in vanum, et in nihili dedi fortitudinem meam. Propterea judicium meum apud Dominum, et labor meus coram Deo meo. Scio et haec et inferiora quae dicturi sumus, ad unius capituli scientiam seu intelligentiam pertinere, et omnia ex persona Christi debere accipi. Sed nolui simul omnia proponendo, lectoris onerare sensum; et quod per partes facilius dici potest, magnitudine sui confundere. Unde et utramque editionem posui: ut quod in altera videtur obscurum, alterius lectione reseretur. Post vocationem ergo reliquiarum Israel, et abjectionem in incredulitate populi permanentis, de quibus dixerat: Non est pax impiis, dicit Dominus (Isai. XLVIII, 22), transit ad Ecclesias de gentibus congregatas, et eis sub insularum nomine loquitur. Quae ita persecutorum insidiis, quasi maris fluctibus patent, et ex omni parte saeviente naufragio, tunduntur potius quam moventur. Ac ne quis putet violentam esse expositionem nostram, et non ad gentes pertinere quod dicitur, sed ad Synagogas populi Judaeorum, sequitur: Et attendite populi, sive gentes de longe, hoc est ab extremis finibus terrae. Vel ut Septuaginta transtulerunt, post tempus multum stabit, hoc est, non hoc tempore quo dicuntur; sed post multa fient tempora. Dominus, inquit, ab utero vocavit me, et de ventre matris meae recordatus est nominis mei. Quod nunc interim audientibus videtur obscurum, postea autem cunctis gentibus notum fiet, quando Gabriel Joseph de partu dixerit virginali: Et vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum (Matth. I, 21): Posuit quoque os ejus quasi gladium acutum, ut spiritu oris sui interficiat impium. De quo gladio et ipse in Evangelio loquitur: Non veni pacem mittere super terram, sed gladium, malos a bonis separans: Veni enim dividere hominem contra patrem

suum, et filiam contra matrem suam, et nurum contra socrum suum (Matth. X, 34, 35). Et in umbra, inquit, manus suae protexit me, ut carnis vilitas, divinitatis potentia tegeretur, Angelo ad Virginem nuntiante: Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (Luc. I, 35). Posuit, inquit, me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me. Quando dicit, sagittam electam, ostendit Deum habere sagittas plurimas, sed non electas: quae sagittae Prophetae sunt et Apostoli, qui in toto orbe discurrunt. De quibus et in alio loco canitur: Sagittae tuae acutae, potentissime; populi sub te cadent (Ps. XLIV, 6); et iterum: Sagittae potentis acutae cum carbonibus desolatoriis (Psal. CXIX, 41). Christus autem de multis sagittis et filiis plurimis, una sagitta electa, et Filius Unigenitus est: quam in pharetra sua abscondit, id est, in humano corpore, ut habitaret in eo plenitudo divinitatis corporaliter. Raraque est credentium fides: cui et supra (Cap. XLV, 15) dicitur: Tu es Deus absconditus, et nesciebamus. Qua sagitta et sponsa vulnus accipiens loquitur in Cantico Canticorum: Vulnerata charitate ego sum. Et dixit mihi: Servus meus es tu, Israel: quia in te glorificabor (Cant. IV, 9). Servus, quia cum in forma Dei esset, formam servi est dignatus assumere (Philipp. II), et Israel, quia natus est de semine Judaeorum. Quodque de nullo alio servorum intelligi potest, jungitur: Quia in te glorificabor. Dicit enim et ipse in Evangelio, Pater, glorifica nomen tuum (Joan. XII, 28). Qui in psalmo loquitur ad Filium: Exurge, gloria mea, et exurge, psalterium et cithara (Ps. LVI, 9), id est, omnium virtutum chorus. Dicente autem mihi Patre ista quae retuli, ego respondi ei: Quomodo in me glorificatus es, Pater, quia in vacuum laboravi, et magnam partem populi Judaeorum ad te revocare non potui? Haec autem universa dicuntur, ut liberum hominis monstraret arbitrium. Dei enim vocare est, et nostrum credere ut justi voluntas praemium consequatur. Quia ergo noluerunt per me in te credere, judicium meum apud te est, quod omnia fecerim quae eis facere debui, dicens in Evangelio: Ego te glorificavi super

terram, opere completo quod dedisti mihi ut facerem (Joan. XVII, 4); et iterum: Manifestavi nomen tuum hominibus. Et opus meum sive labor et dolor meus (hoc enim significat πόνος) in conspectu tuo est. Flevit enim et in Evangelio Jerusalem (Luc. XIX), et in psalmo ob incredulorum multitudinem, quodammodo frustra passum se esse dicit: Quae utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem (Ps. XXIX, 10)? Et juxta Hebraicum pendens in cruce loquitur: Longe a salute mea, verba lamentationum mearum (Ps. XXI, 1).

## (Vers. 5, 6 seqq.)

Et nunc dicit Dominus, formans me ex utero servum sibi, ut reducam Jacob ad eum, et Israel non congregabitur: et glorificatus sum in oculis Domini, et Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit: parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, et faeces Israel convertendas. Ecce dedi te in lucem gentium; ut sis salus mea usque ad extremum terrae.

LXX: Et nunc sic dicit Dominus qui formavit me ex utero servum sibi, ut congregarem Jacob ad eum et Israel: congregabor et glorificabor coram Domino et Deus meus erit fortitudo mea. Et dixit mihi: Magnum tibi est ut voceris puer meus, et suscites tribus Jacob, et dispersionem Israel convertas. Ecce posui in testamentum generis, in lucem gentium, ut sis salus usque ad extremum terrae. Dicente me, In vacuum laboravi, sine causa et vane fortitudinem meam consumpsi: quia Judaei credere noluerunt, et judicium meum cum Domino est; et opus meum, quod, illo juvante, implevi, cum Domino: respondit mihi Dominus, qui me formavit ex utero servum sibi. Ex quo ostendit eum appellari servum, qui sit formatus ex utero. Qui et in psalmo dicit: De ventre matris meae Deus meus es tu (Ps. XI, 10). Quid ergo Dominus dicit ei? Ut reduceret Jacob ad eum qui aberraverat, qui, deserto Creatore, idolis serviebat. Unde et ipse loquitur ad

discipulos: In viam gentium ne ieritis, et in civitates Samaritanorum ne intretis; sed ite magis ad oves perditas domus Israel (Matth. X, 5); et in alio loco: Non veni nisi ad oves perditas domus Israel (Matth. XV, 24). Haec igitur voluntas Patris fuit, ut pessimi vinitores missum susciperent Filium, et fructus vineae redderent, qui interfecerunt eum dicentes. Venite, occidamus illum, et nostra erit haereditas (Matth. XXI, 38); et hoc est quod nunc dicit: Et Israel non congregabitur, id est non revertetur ad Dominum. Satisque miror quomodo vulgata editio, fortissimum contra Judaeorum perfidiam testimonium alia interpretatione subverterit, dicens: Congregabor et glorificabor coram Domino: cum Theodotio et Symmachus nostrae interpretationi congruant. De Aquila autem non miror, quod homo eruditissimus linguae Hebraicae, et verbum de verbo exprimens, in hoc loco aut simularit imperitiam, aut Pharisaeorum perversa expositione deceptus sit, qui interpretari voluit, et Israel ei congregabitur, hoc est, Deo. Cum verbum Hebraicum LO, in hoc loco non scribatur per LAMED et VAV: quod si esset, significaret, ei vel illi: sed per LAMED et ALEPH quod proprie, non sonat. Quia igitur non est reductus Jacob ad Deum, nec Israel congregatus: propterea Filius loquitur illis non credentibus: glorificatus sum in oculis Domini. In me enim omnis mundus credidit: et Deus meus factus est fortitudo mea, qui et consolatus est me tristem super abjectione populi mei; et dixit mihi: Parum est si servias mihi ad suscitandas tribus Jacob, quae suo vitio corruerunt; et ad faeces, sive reliquias Israel convertendas. Hoc enim verbum Hebraicum NESURE sonat. Pro illis enim dedi te in lucem omnium gentium, ut illumines universum mundum, et salutem meam, per quam omnes salvi fiunt, usque ad extrema terrae facias pervenire. Illud autem quod in Septuaginta legitur, congregabor, et glorificabor coram Domino, sic intelligi potest, ut congregatus sit Dominus cum credentibus. Quodque sequitur: Dixit mihi: Magnum

tibi est ut voceris puer meus, magnum referamus ad hominem et ad puerum, qui comparatione Dei parvus est.

## (Vers. 7.)

Haec dicit Dominus redemptor Israel Sanctus ejus ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum. Reges videbunt, et consurgent principes, et adorabunt propter Dominum, quia fidelis est: et Sanctum Israel qui elegit te.

LXX: Sic dicit Dominus qui eruit te Deus Israel. Sanctificate eum qui despicit animam suam, qui abominationi est gentium, qui servus est principum. Reges videbunt eum, et consurgent principes, et adorabunt eum propter Dominum: quia fidelis est Sanctus Israel, et elegit te. Pro eo quod nos diximus: ad contemptibilem animam, ad abominatam gentem, ad servum dominorum, Theodotio transtulit: ei qui despicit animam, qui abominationi est genti, qui servus est principum: quod manifeste Christi personae convenit. Ipse enim bonus pastor posuit animam suam pro ovibus suis (Joan. X), et contempsit eam, qui abominationi est genti Judaeorum, cui ter per singulos dies sub nomine Nazarenorum maledicunt in synagogis suis. Qui servus fuit principum, et tam humilis ut staret ante Annam et Caipham; et crucifigendus Pilato et Herodi mitteretur. Cui interpretationi Aquila consensit, et ex parte Septuaginta, licet in eo mutaverint sensum, et extenuaverint, quod pro gente, gentes; et pro servo, servos interpretati sunt. Alii vero hoc dici arbitrantur ad gentem Judaeorum, quae contempsit animam suam, et abominationi est universo mundo; et servit principibus, de quibus scriptum est: Qui devorant plebem meam sicut cibum panis (Ps. XIII, 4). Sed melior super Christo interpretatio. Quae igitur Pater, redemptor quondam et Sanctus Israel, ad filium loquitur? Reges videbunt et consurgent principes, et adorabunt, quando venerit in gloria Patris cum Angelis suis, et

sederit in throno gloriae suae, judicans vivos et mortuos: tunc omnes adorabunt eum propter Dominum Patrem suum, qui elegit eum. Sive ita intelligendum: Reges quorum cor in manu Dei est, et Ecclesiae Dei principes, adorabunt te: quia fidelis est Dominus, Sanctus Israel qui elegit te. Haec autem omnia ad eum refert, qui contempsit animam suam, qui abominatur a gente, qui servus est principum.

## (Vers. 8 seqq.)

Haec dicit Dominus: In tempore placito exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui. Et servavi te, et dedi te in foedus populi, ut suscitares terram, et possideres haereditates dissipatas: ut diceres his qui vincti sunt: Exite; et his qui in tenebris: Revelamini. Super vias pascentur, et in omnibus planis pascua eorum. Non esurient, neque sitient, et non percutiet eos aestus et sol: quia miserator eorum reget eos, et ad fontes aquarum potabit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, et semitae meae exaltabuntur. Ecce isti de longe venient, et ecce illi ab Aquilone et mari, et isti de terra Australi. Laudate, coeli, et exsulta, terra: jubilate, montes, laudem, quia consolatus est Dominus populum suum, et pauperum suorum miserebitur.

LXX: Sic dicit Dominus: Tempore opportuno exaudivi te, et in die salutis auxiliatus sum tui. Et plasmavi te, et dedi te in testamentum gentium, ut constitueres terram, et possideres haereditates desertas. Diceresque his qui in vinculis sunt, Exite, et qui in tenebris, Revelamini: in omnibus viis pascentur, et in omnibus semitis pascua eorum. Non esurient, neque sitient, neque percutiet eos aestus neque sol; sed qui miseretur eorum, consolabitur eos, et per fontes aquarum ducet illos. Ponamque omnem montem in viam, et omnem semitam in pascua eis. Ecce isti de longe venient, isti ab Aquilone et mari: alii autem de terra Persarum. Laetamini, coeli, et exsuliet terra,

erumpant montes laetitiam: quia misertus est Deus populi sui: et humiles populi sui consolatus est. Hoc testimonio Apostolus Paulus in secunda Epistola ad Corinthios usus est, dicens: Tempore opportuno exaudivi te: et in die salutis auxiliatus sum tui. Ecce nunc tempus acceptabile, etc. (I Cor. VI, 2). Si ergo vas electionis ad primi adventus refert intelligentiam quae dicuntur, et nos sequamur expositionis ejus vestigia, et instar parvulorum, super adumbratas lineas praeceptoris, litteras imprimamus. Tempus placitum et opportunum, et dies salutis, passio Salvatoris est et resurrectio, quando orabat in cruce: Deus Deus meus, quare me dereliquisti (Matth. XXVII, 46)? Et servavit eum, sive plasmavit, morte superata, deditque in foedus populi Judaeorum, his videlicet, qui ex illis credere voluerunt: ut suscitaret terram, quae in idololatriae jacebat erroribus, et possideret haereditates dissipatas, sive desertas, quae habitatorem non habebat Deum, et diceret his qui erant in vinculis, exite, qui peccatorum vinculis stringebantur, quia funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur (Prov. V); et qui erant in tenebris, revelamini. Qui sedebant in tenebris, et in umbra mortis, et lucem videre non poterant. Qui postquam conversi fuerint, et clarum Christi lumen aspexerint, pascentur in viis et in semitis sanctarum Scripturarum, et dicent: Dominus pascit me, et nihil mihi deerit, in loco pascuae ibi me collocavit: super aquas refectionis educavit me (Ps. XXII, 2). Qui autem in istius modi viis atque semitis pastus fuerit et nutritus, nec esuriet, nec sitiet, neque calorem sentiet solis: et implebitur de illo quod scriptum est: Per diem sol non uret te, neque luna per noctem (Ps. CXX, 6). Ut nec adversa nec prospera hujus saeculi sentiat. Siquidem misericors et miserator Dominus, ipse consolabitur et reget eos, et deducet ad fontes aquarum. Sive potabit illos ad fontes, de quibus scriptum est: Benedicite Domino de fontibus Israel (Ps. LXVII, 27). Et in alio loco: Haurite aquas de fontibus Salvatoris (Isa. XII, 3). Hi fontes in veteri Testamento, et novo sunt. Omniaque offendicula quae

credentium poterant impedire gressus, Dominus eis vertet in planum, et excelsa humiliabit, atque humilia sublimabit, ut iter planum habeant atque campestre. Qui sint autem isti quibus praeparetur via, ponit manifestius: Ecce isti de longe venient: et ecce illi ab Aquilone et mari, et isti de terra Australi. Quatuor plagas orbis ostendens, Orientem et Septentrionem, Occidentem et Meridiem, pro Oriente, longe posuit: pro Australi plaga, in Hebraeo legitur SINIM quod LXX Persarum intepretati sunt. Caeteri ita ut in Hebraeo legitur expresserunt sinim, quod nos interpretati sumus ab Austro: illud suspicantes quod mons Sinai in Australi parte positus sit, juxta Abacuc Prophetam: Deus ab Austro veniet: et sanctus de monte Pharan umbroso et condenso (Abac. III). Si autem sinim, ut LXX transtulerunt, Persas intelligimus, qui ad Orientem siti sunt, illud quod supra dicitur: Ecce isti de longe venient, ad Austrum referre poterimus. Praecipiturque coelis et terrae, vel his virtutibus quae in coelo morantur et terra, vel Angelis et hominibus, ut Dei concinant laudes. Et qui in excelso virtutum positi sunt, mentis laetitiam jubilo et exsultatione testentur. Quia consolatus est Dominus populum suum, eos qui ex Judaeis credere voluerunt. Et pauperum humiliumque suorum misertus est: sive omnis populi sui, qui de Oriente et Occidente, Aquilone et Austro ad eum vocatus est, non habens Legem nec Prophetas, nec divitias spirituales: sed desertus, pauper et humilis, cunctis daemonibus subjacebat.

## (Vers. 14 seqq.)

Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te: muri tui coram oculis meis semper. Venerunt structores tui: et qui te destruxerant et dissipaverant, exibunt a te. Leva in circuitu oculos tuos, et vide, omnes

isti congregati sunt, venerunt tibi. Vivo ego, dicit Dominus: quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi sponsa, quia deserta tua et solitudines tuae, et terra ruinae tuae nunc angusta erunt prae habitatoribus, et longe fugabuntur qui absorbebant te. Adhuc dicent in auribus tuis, filii sterilitatis tuae: Angustus est mihi locus, fac spatium mihi, ut habitem. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego sterilis et non pariens, transmigrata et captiva: et istos quis enutrivit? Ego destituta et sola: et isti ubi hic erant?

LXX: Dixit autem Sion: Dereliquit me Dominus, et Deus oblitus est mei. Numquid obliviscetur mulier parvuli sui, ut non misereatur partus uteri sui? Sin autem et horum oblita fuerit mulier: sed ego non obliviscar tui, dicit Dominus. Ecce super manus meas depinxi muros tuos: et coram me es semper. Citoque aedificaberis, a quibus destructa fueras: et qui te dissipaverant, egredientur ex te. Leva in circuitu oculos tuos, et vide: omnes isti congregati sunt, venerunt ad te. Vivo ego, dicit Dominus: quia omnibus his quasi ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos quasi monile sponsae: quoniam deserta tua, et quae dissipata, et quae corruerunt. Nunc angustaberis prae habitatoribus: et longe fient a te qui te humiliaverant. Dicent enim in auribus tuis, filii tui, quos perdidisti: Angustus mihi locus est: fac mihi locum ut habitem. Et dices in corde tuo: Quis genuit mihi istos? Ego autem absque liberis et vidua, et istos quis enutrivit mihi? Ego derelicta sum sola, et isti ubi erant? Jerusalem et Sion quatuor modis in Scripturis sanctis debere intelligi, saepe memoravimus. Uno, juxta Judaeos, quam plangit Dominus in Evangelio, Jerusalem, Jerusalem, quae occidis Prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt (Matth. XXIII, 37). Et in alio loco: Cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus (Luc, XXI, 20). Secundo, Sanctorum est congregatio, qui in pace Domini et in virtutum specula constituti, recte appellantur Sion, de qua dicitur:

Fundamenta ejus in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Jacob (Ps. LXXXVI, 1). Neque enim fundamenta Judaicae Sion, quam videmus esse destructam, a Domino sunt dilecta, aut quod a Domino dilectum est, destrui potuit. Tertio appellatur Jerusalem multitudo Angelorum, Dominationum, et Potestatum, et omne quod in Dei ministerio constitutum est. De qua Jerusalem et Apostolus loquebatur: Quae autem sursum est Jerusalem, libera est, quae est mater omnium nostrum (Galat. IV, 26). Et in alio loco: Sed accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem coelestem (Hebr. XII, 22). Quarto appellatur Jerusalem quam Judaei et nostri Judaizantes juxta Apocalypsim Joannis, quam non intelligunt, putant auream atque gemmatam de coelestibus ponendam (Apoc. XXI), cujus terminos et infinitam latitudinem etiam in Ezechielis ultima parte describi. Quae cum ita se habeant, nunc diligentius intuendum est, quae ex quatuor dixerit Sion, Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei. Nec dubium est quin congregatio Sanctorum, quae prior fuerat in Judaeis, et a Domino derelicta est, ista commemoret, et voce lacrymabili conqueratur se esse desertam, et Domini auxilio destitutam. Cui respondit Deus, naturali utens similitudine: Si potest fieri, ut mater sui obliviscatur infantis, et ad partum viscerum suorum non flectatur misericordia, et ego obliviscar tui. Plus aliquid dicam: etsi illa oblita fuerit, vincens mentis duritia jura naturae; ego tamen non obliviscar creaturam meam, et Sanctorum animas semper in meo corde retinebo. Scito enim tu, quae te penitus arbitraris derelictam, in meis descriptam esse manibus atque depictam; et muros tuos coram oculis meis jugiter permanere. Ex quo discimus, nequaquam Jerusalem in Palaestinae regione quaerendam, quae totius provinciae deterrima est, et saxosis montibus asperatur, et penuriam patitur sitis, ita ut coelestibus utatur pluviis, et raritatem fontium cisternarum exstructione soletur; sed in Dei manibus, ad quam dicitur: Festinaverunt structores tui.

Sive juxta LXX: Cito aedificaberis a quibus destructa fueras. A Judaeis enim destructa, a Judaeis aedificata est. Quae ob culpam Scribarum Pharisaeorumque deserta, ad praedicationem Apostolorum Christi congregata est tam de Judaeis, quam de gentibus. Sequitur: Et qui te destruxerant et dissipaverant, egredientur ex te: doctores pessimi; ut nequaquam mandata et traditiones sequaris hominum (Matth. XV), sed legem Dei. Diciturque ad eam, ut elevet oculos suos in circuitu, et videat filios qui ei fuerant congregati. De quibus et Dominus loquebatur: Levate oculos vestros, et videte quia jam albae sunt segetes ad metendum (Joan. IV, 35). Et ut securos nos faciat: Vivo ego, inquit Dominus (quod juxta vetus Testamentum, jurandi dicitur consuetudine), quia omnibus his velut ornamento vestieris, et circumdabis tibi eos, quasi sponsa circumdat monile sibi. Felix qui tanti meriti est, tantaeque virtutis, ut ornamentum dicatur Ecclesiae. Puto autem has diversas significari gratias spirituales, per quas sponsae ornatur ambitio. De qua et in quadragesimo quarto psalmo canitur: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate (Ps. XLIV, 10). Quae enim prius deserta fuerant, et dilapsa in solitudines et ruinas, adveniente Christi Evangelio, instaurabuntur et tantam habebunt habitatorum multitudinem, ut eos capere non possint. Ita dumtaxat, ut persecutores fugentur procul, vel hi de quibus supra diximus: Qui destruebant te, et dissipabant, exibunt a te. Filiique sterilitatis tuae quos putabas te penitus perdidisse, ab illis te esse viduatam, dicent in auribus tuis: Angustus mihi est locus in synagogis, fac mihi spatium in Ecclesiis, ut habitem latius, ut non comprimar blasphemiis Judaeorum, ut totum orbem tua mecum capiat latitudo. Tu autem laetitiae magnitudinem non valens ore proferre, in tuo corde tacita cogitabis, et dices: Quis mihi istos genuit? Ego eram sterilis et vidua, deserta atque captiva in populo Judaeorum, filios habere desieram, multo tempore non pepereram. Post Aggaeum et Zachariam et Malachiam,

nullos alios Prophetas usque ad Joannem Baptistam videram; et quomodo quae fueram sola, et viri auxilio destituta, tantos filios habere nunc coepi? Ut autem sciamus super petram et fundamentum Christi ex utroque populo aedificari Sion, ad credentes Paulus loquitur: Aedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum ipso summo lapide angulari, qui est Jesus Christus. (Ephes. II, 20.) Ex quo perspicuum est, unum esse fundamentum Apostolorum et Prophetarum, Dominum nostrum Jesum Christum.

## (Vers. 22, 23.)

Haec dicit Dominus Deus: Ecce levabo ad gentes manum meam, et ad populos exaltabo signum meum: et afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutricii tui, et reginae nutrices tuae. Vultu in terram demisso adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent: et scies quia ego Dominus, super quo non confundentur qui exspectant eum.

LXX: Sic dixit Dominus Deus: Ecce elevo super gentes manum meam, et super insulas levabo signum meum, et adducent filios tuos in sinu, et filias tuas in humeris portabunt. Et erunt reges nutricii tui: et principes feminae nutrices tuae: super faciem terrae adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent; et scies quia ego Dominus, et non confundentur qui exspectant me. Ad id quod Ecclesia dixerat: Ego sterilis atque captiva, istos quis genuit mihi? Ego destituta et sola, et isti ubi hic erant? respondit Dominus: Miraris cur ista sint facta? Nequaquam miraberis cum audieris, quia ego ad gentes levaverim manum meam. De qua et Sanctus loquitur: Tu formasti me, et posuisti super me manum tuam (Ps. CXXXVIII, 4). Et ipse Salvator: Nemo potest rapere de manu Patris mei (Joan. X, 29). Et Apostolus Petrus: Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis (I Petr. V, 6). Ista manus ad gentes

levata, ipsa est de qua hic idem Propheta loquitur: Erit radix Jesse, qui exsurget, ut princeps sit gentium: in ipsum gentes sperabunt (Isa. XI, 10). Nec solum manum suam levabit ad gentes; sed et signum suum exaltabit in populis. Haud dubium quin vexillum crucis, ut impleatur illud quod scriptum est: Laudibus ejus plena est terra. Et iterum: In omni terra admirabile nomen ejus (Ps. VIII, 1). Tunc afferent in ulnis, sive in sinu filios Sion, et filias ejus portabunt in humeris. Qualis fuit et Lazarus, omnesque sancti qui requiescunt in sinu Abrahae (Luc. XVI), et animae credentium, ad quas Paulus Apostolus loquebatur: Lacte vos potavi (I Cor. III, 2). Et alibi: Filioli mei quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis (Galat. IV, 19). Et in alio loco: Quasi nutrix foveat filios suos: sic desiderantes vos, cupimus impartire vobis non solum Evangelium Christi, sed et animas nostras (I Thess. II, 8). Alioquin ridiculum est more Judaico grandaevos filios et filias in ulnis humerisque portari. Reges autem nutricii, et reginae principesque nutrices, manifeste Apostolos et Apostolicos ostendunt viros: qualis fuit et S. Abraham, ad quem dicitur: Rex a Deo tu in nobis es (Gen. XXIII, 6); et quorum cor in manu Dei est (Prov. XXI): qui dicunt credentibus: Quasi modo nati parvuli, rationabiles, et absque dolo lac desiderate (I Petr. II, 2). Princeps quoque, id est, ἄρχου, quod Sarae nomen sonat: et reginae, sive regina, de qua in quadragesimo quarto psalmo canitur: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, quotidie Christi nutrit parvulos, et ad perfectam ducit aetatem: omnisque aetas, sexus, et dignitas, adorabunt Sion propter eum qui habitat in ea. Si enim caput Ecclesiae Christus est, caput adoratur in corpore. Et si ad quosdam dicitur: Exaltate Dominum Deum nostrum, et adorate scabellum pedum ejus (non quo scabellum adorandum sit; sed quo majestas pedum illius indicetur), cur non adoretur Ecclesia quae totum Christi corpus amplectitur, ut impleatur illud quod scriptum est in Sophonia: Adorabunt eum singuli de loco: omnes insulae gentium (Sophon. II, 11), ut nequaquam more Judaico

tribus per annum vicibus veniant in Jerusalem: sed in loco suo adorantes Dominum, possideant Jerusalem. Quodque sequitur: et pulverem pedum tuorum lingent, hoc significat, quod reges et principes, quidquid in pedibus Ecclesiae, terreni operis adhaeserit, suo sermone tergant atque delingant. Unde et Apostolis praecipitur, ut excutiant pulverem pedum suorum. Et ad Petrum dicitur, quod qui semel lotus sit, non habeat necesse nisi pedes lavare. (Matth. X; Joan. XIII). Per quae omnia discit Ecclesia, non esse alium Dominum praeter eum, quem qui exspectaverint, aeternam gloriam possidebunt.

## (Vers. 24 seqq.)

Numquid tolletur a forti praeda? aut quod captum fuerit a robusto, salvum esse poterit? Quia haec dicit Dominus: Equidem et captivitas a forti tolletur: et quod ablatum fuerit a robusto, salvabitur. Eos vero qui judicaverunt te, ego judicabo: et filios tuos ego salvabo. Et cibabo hostes tuos carnibus suis, et quasi musto sanguine suo inebriabuntur: et sciet omnis caro, quia ego Dominus salvans te, et redemptor tuus fortis Jacob.

LXX: Numquid accipiet quis a gigante spolia? Et si captivum duxerit quis inique, salvabitur. Sic dicit Dominus: Si quis ceperit gigantem, accipiet spolia, et accipiens a forti salvabitur. Ego autem judicium meum judicabo. Et ego filios meos eruam, et comedent qui tribulaverunt te, carnes suas, et bibent quasi vinum novum sanguinem suum, et inebriabuntur: et sciet omnis caro quia ego Dominus qui erui te, et adjutorium fortitudinis Jacob. Dominus noster atque Salvator, qui prius locutus fuerat per Isaiam, ipse in Evangelio eumdem sensum repetit: quomodo potest aliquis intrare in domum fortis, et vasa ejus diripere, nisi primum ligaverit fortem, et tunc domum ejus diripiet (Marc. III)? Fortis et gigas, diabolus est, qui omnes gentes suo subjugarat imperio, audens dicere Salvatori: Haec omnia mihi tradita sunt, et

dabo tibi ea, si procidens adoraveris me (Matth. IV, 9). Mundus enim in maligno positus est (I Joan. V), quem nullus justorum vincere potuit: nec juxta Amos, praedam de ore leonis auferre (Amos. III). Proposita igitur quaestione, quod nullus possit fortem et gigantem vincere, nec salvare quod ab eo raptum erat, respondit Dominus, suo adventu omnia perpetranda: quod scilicet captae prius gentes a gigante tollantur, et omnis illius supellex, universaque familia Apostolis dividatur. Impleto illo quod scriptum est: Rex virtutum dilecti, et speciei domus dividere spolia. Iste est enim qui ascendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona in hominibus (Ps. LXVII, 13, 19; Ephes. IV): eos videlicet qui prius capti erant in mortem, recepit in vitam. Unde manifestius interpretatus est Symmachus: Sed et captivitas fortis auferetur, et rapinae horribilis salva erit. Fortem atque horribilem diabolum volens intelligi, qui Domini virtute superatus est. Ergo Dominus judicans eos qui oppresserant Sion, sive judicans judicium ejus, liberabit filios illius qui capti fuerant a gigante, atque salvabit, et adversarias potestates cibabit carnibus suis, et inebriabit quasi musto, ut nequaquam aliorum nece, sed sua morte saturentur. Et qui carnes sunt, quia Dei spiritum perdiderunt, suis vescantur carnibus. Quod quidem et Sanctus loquitur in Psalmis: Cum appropinquarent mihi qui affligebant, ut comederent carnes meas (Ps. XXVI, 2). Non enim spiritus qui incorporalis est, sed caro comeditur, ferocium bestiarum morsibus patens. Et tunc dicet Sion: immo omnis caro quae videbit salutare Dei, quod Redemptor atque Salvator ejus ille sit qui luctatus est cum Jacob, vel auxiliator fuit virtutis Jacob: ut in passione superelevatus, crucifigentibus benediceret: Pater, ignosce eis: quod enim faciunt nesciunt (Luc. XXIII, 34).

## (Cap. L.---Vers. 1.)

Haec dicit Dominus: Quis est hic liber repudii matris vestrae, quo dimisi eam? Aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, et in sceleribus vestris dimisi matrem vestram. Quia veni, et non erat vir: vocavi, et non erat qui audiret.

LXX: Sic dicit Dominus: Qualis est liber repudii matris vestrae, quo dimisi eam? Aut cui creditori et exactori meo vendidi vos? Ecce peccatis vestris venundati estis, et in iniquitatibus vestris dimisi matrem vestram, quia veni, et non erat homo: vocavi, et non erat qui obediret. Post vocationem gentium, et reges ac principes, nutricios et nutrices, et captivitatem fortis prius atque robusti, cujus praeda Apostolis distributa est, et post daemonum vesaniam, qui suis saturati carnibus, suoque inebriati sunt sanguine: quando omnis cognovit caro, quod Redemptor et fortis ipse esset Deus Jacob, loquitur ad populum Judaeorum super Sion, quae prius dixerat: Dereliquit me Dominus, et Dominus oblitus est mei. Putatis mea duritia matrem vestram terrenam Jerusalem esse projectam, et quod ego mentis rigidae dederim ei libellum repudii, et non potius, quod verum est, intelligitis, illam suo a me vitio recessisse? Dicente enim me ad eam: Quiescite inique agere, discite bonum facere, audire me noluit; sed vertit contra me scapulam recedentem: Unde locutus sum filiis ejus: Vae illis, quoniam recesserunt a me. Manifesti sunt qui impie egerunt in me. Et ad ipsam, Erudiet te abscessio tua, et malitia tua corripiet te; et scies quoniam malum tibi sit quod reliqueris me. Sed forsitan libellum repudii ostendere non potestis, et aliquis creditor meus exigens pecuniam, me non habente quod redderem, vos in debiti compensationem suscipit? Non est ita: sed ego ostendam vobis, quamobrem matrem cum filiis dereliquerim. Scelera vestra atque peccata vos daemonibus vendiderunt, ut praesentis saeculi voluptatibus irretiti, et vos parentem, et illa conjugem derelinqueret. Unde adulteram matrem vestram ultra tenere non potui, sed volentem abire permisi. Quod

autem peccatis suis unusquisque venundatur, dum proprio arbitrio derelicti, nostra voluntate, vel ad bonum, vel ad malum ducimur, et Paulus apostolus docet: Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato (Rom. VII, 14). Qui enim facit peccatum, servus est peccati (Joan. VIII). Et quomodo avari atque raptores servi sunt mammonae; sic omne peccatum dominatur peccatoribus. Quibus dicitur: Non regnet peccatum in mortali vestro corpore (Rom. VI, 12). Ut autem sciatis, non a me repudiatam matrem vestram; sed voluntate propria recessisse, post multa beneficia humanum corpus assumpsi, et nequaquam per Prophetas, sed praesens locutus sum. Veni, et non erat vir, sive homo. Omnes enim viri et hominis imaginem relinquentes, bestiarum et serpentium sumpsere imagines. Unde et ad Herodem propter malitiam dicitur: Ite, et dicite vulpi huic (Luc. XIII, 32). Et ad Pharisaeos: Genimina viperarum (Matth. XXIII, 33). Et ad libidinosos: Equi insanientes in feminas facti sunt (Jerem. V, 8). Et de voluptuosis: Nolite mittere margaritas vestras ante porcos. Et impudentibus: Neque sanctum detis canibus (Matth. VII, 6). Et in communi de omnibus: Visio quadrupedum quae erant in deserto (Isa. XXX) Venit itaque Dominus, et non invenit hominem. Homo enim cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est eis (Psal. XLVIII, 13). Vocavi, inquit, eos quasi rationale animal, et dixi: Inclinate aurem vestram in verba oris mei (Psal. LXXVII), et non audivit populus meus vocem meam. Clamavi, et dixi: Qui sitit, veniat ad me, et bibat (Joan. VII, 37). Et alio loco: Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis (Matth. XI, 28). Et non erat qui audiret; unde eis in Evangelio sum locutus: Neque speciem Dei vidistis, neque vocem illius audistis, quia non habetis sermonem ejus manentem in vobis (Joan. V, 37, 38).

## (Vers. 2.)

Numquid abbreviata est, et parvula facta est manus mea, ut non possim redimere? Aut non est in me virtus ad liberandum? Ecce in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccum: computrescent pisces sine aqua, morientur in siti. Induam coelos tenebris, et saccum ponam operimentum eorum.

LXX: Numquid non potest manus mea liberare, aut non praevalet ut erunt? Ecce comminatione mea desertum faciam mare, et ponam flumina deserta, et arescent pisces eorum: eo quod non sit aqua, et morientur in siti. Et induam coelum tenebris, et quasi cilicium ponam operimentum ejus. Adversum eos qui putabant Dominum non potuisse liberare populum suum de captivitate, ponit rationem et exempla plenissima. Quod qui mare Rubrum fecit pervium populo suo (Exod. XIV), Jordanis fluenta siccavit, et arescentibus in Aegypto fluviis, pisces vertit in putredinem (Exod. VII). Et qui tribus diebus in Aegypto tenebras fecit esse palpabiles, ita ut coelum quasi sacco opertum videretur et tenebris: utique potuerit et populum suum de periculo liberare. Sive quia supra dixerat: Veni, et non erat homo: vocavi, et non erat qui audiret, illud possumus dicere, quod qui tantorum signorum patrator est, et coelum terrasque, et maria suo facit servire nutui, etiam ipse crucem evadere potuerit, dicens in Evangelio: An putatis quia non possum rogare Patrem meum, ut exhiberet mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum (Matth. XXVI, 53)? Juxta anagogen, ad increpationem Domini desertum fit mare, quando omnis hujus saeculi amaritudo siccatur, et flumina desolantur, de quibus spiritualis draco dicebat in Aegypto: Mea sunt flumina, et ego feci ea (Ezech. XXIX, 9). Et de quibus in alio loco legimus: Quid tibi est et viae Assyriorum, ut bibas aquas fluminum (Jerem. II, 18)? Pisces quoque, sagena missa in mari, computrescent, qui a bonis piscibus fuerint separati. Quodque sequitur: Induam coelum tenebris, et quasi cilicium erit operimentum ejus, vel omne quod supra nos est,

intelligamus coelum, sicut volatilia quae in aere sunt, appellantur coelestia; et adversariae potestates dicuntur esse coelestes, quae inter coelum terramque discurrunt. Vel certe induitur coelum tenebris, quando obtexitur nubibus. Juxta illud quod scriptum est: Qui operit coelum nubibus, et dat terrae pluviam (Psal. CXLVI, 8). Et in comminatione siccitatis loquitur Deus: Ponam coelum aeneum, et terram ferream (Deut. XXVIII, 23). Non quod elementorum natura mutetur, sed quod per aes et ferrum poenarum magnitudo monstrata sit. Aiunt philosophi, non amplius decem stadiis a terra nubes in sublime sustolli, et solis splendorem abscondere. Ergo non coelum sacco obvolvitur, sed intercluso coeli lumine aer qui subter est, nubis tenebris obscuratur. Possumus coelos obvolutos tenebris, et sacco opertos, sic interpretari, ut dicamus omnes esse sub peccato, et sanctos quoque indigere misericordia Dei.

## LIBER DECIMUS QUARTUS.

Dominus qui respicit terram, et facit eam tremere; qui tangit montes, et fumigabunt (Psal. CIII), qui loquitur in Deuteronomii cantico: Ego occidam, et ego vivificabo: percutiam et ego sanabo (Deut. XXXII, 39), frequentibus morbis meam quoque terram fecit contremiscere, cui dictum est: Terra es, et in terram ibis (Genes. III, 19). Et oblitum conditionis humanae, crebro admonet, ut hominem et senem, et jamjamque moriturum esse me noverim. De quo scribitur: Quid gloriatur terra et cinis (Eccli. X, 9)? Unde qui me subito languore percusserat, incredibili velocitate sanavit: ut terreret potius, quam affligeret, et emendaret magis quam verberaret. Itaque sciens cujus sit omne quod vivo, et quod idcirco forsitan mea dormitio differatur, ut coeptum in Prophetas opus expleam, totum me huic trado studio, et quasi in quadam specula constitutus, mundi hujus turbines atque naufragia, non absque gemitu et dolore contemplor; nequaquam praesentia cogitans, sed futura: nec hominum

famam atque rumusculos, sed Dei judicium pertremiscens. Tuque, Virgo Christi Eustochium, quae aegrotantem tuis orationibus adjuvisti, sanato quoque imprecare gratiam Christi, ut eodem spiritu, quo Prophetae futura cecinerunt, possim in nubem eorum ingredi et caliginem, et Dei nosse sermonem, qui nequaquam carnis auribus, sed cordis auditur; et dicere cum Propheta: Dominus dat mihi linguam disciplinae, ut sciam quando oporteat me loqui. Quod testimonium quarti et decimi in Isaiam libri, quem nunc disserere cupio, principium est.

## (Cap. L.---Vers. 4 seqq.)

Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lassus est verbo. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contradico: retrorsum non abii. Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus. Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus. Dominus Deus meus auxiliator meus, ideo non sum confusus: ideo posui faciem meam ut petram durissimam, et scio quia non confundar.

LXX: Dominus dat mihi linguam disciplinae, ut sciam quando oporteat me loqui verbum. Posuit me mane, addidit mihi aurem ad audiendum; et disciplina Domini aperit aures meas. Ego autem non renuo, neque contradico. Dorsum meum dedi ad flagella, et genas meas ad alapas. Faciem autem meam non averti a confusione sputorum. Et Dominus auxiliator meus est, propterea non sum confusus: sed posui faciem meam sicut fortissimam petram, et sciam quoniam non confundar. Judaei hoc capitulum a superioribus separantes, volunt ad Isaiae referre personam, quod se dicat a Domino accepisse sermonem, quomodo lassum errantemque populum sustentet, et revocet ad salutem; et in morem parvulorum, qui matutinis horis erudiuntur, a Spiritu

sancto audiat quid loquatur: seque non contradixisse ejus imperio, sed Domino sciscitante: Quem mittam, et quis ibit ad populum istum? respondisse ei: Ecce ego, mitte me (Isai, VI, 8). Et quia dixerit: Audite verbum Domini, principes Sodomorum: percipite auribus Legem Dei nostri, populus Gomorrhae (Isai. I, 18), intantum dura perpessum, ut non solum verborum contumeliis, sed et plagarum doloribus fuerit expositus. Attamen se conscientia jubentis Dei nequaquam esse perterritum; sed juxta id quod Ezechieli dicitur: Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, et frontem tuam duriorem frontibus eorum, ut adamantem et silicem dedi faciem tuam (Ezech. III, 8, 9), universos eorum impetus contudisse. Hoc illi dixerint, qui omni ratione conantur de Christo evertere prophetias, et ad perversam intelligentiam prava interpretatione torquere: quasi si et haec de Isaia scripta sint, possint alia super Christo auferre testimonia, quae ita perspicua sunt, ut clarum sui cunctorum oculis lumen infundant. Ad personam igitur Domini, in qua et superior finitus est liber, etiam ista referenda sunt: quod juxta dispensationem assumpti corporis eruditus sit, et linguam acceperit disciplinae, ut sciret quando deberet loqui, quando reticere. Denique qui in passione tacuit, per Apostolos, et Apostolicos viros, in cuncto orbe nunc loquitur. Magnaeque scientiae est, dare in tempore conservis cibaria, et audientium considerare personas. Unde et Apostolus Paulus, his qui Prophetarum fidem non recipiebant, auctorum suorum loquitur testimoniis: sicut quidam de vestris poetis dixerunt: Hujus et genus sumus (Act. XVII, 28): Aratum significans. Rursumque de Comico: Corrumpunt mores bonos confabulationes malae (I Cor. XV, 33); et Epimenidis versum hexametrum: Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri (Tit. I, 12). Qui si metrorum ordinem atque mensuram in translatione non servant, sciendum est in Graeco eos pedibus currere. Hoc autem faciebat, quia acceperat linguam disciplinae, ut sciret quando oporteret loqui verbum. Cui addita est auris

per gratiam, quam per naturam non habebat: ut intelligamus nequaquam aures corporis accipi debere, sed mentis: de quibus et in Evangelio Dominus loquebatur: Qui habet aures audiendi, audiat (Luc. VIII, 8). Quae disciplina et eruditio aperuit aures ejus, ut scientiam Patris ad nos usque transmitteret; qui non contradixit ei, sed factus est obediens usque ad mortem, et mortem crucis (Philip. II). Ita ut poneret corpus sive dorsum suum ad plagas; et pectus Dei capax flagella conciderent, genasque suas non averteret ab alapis. Quod illum a ministro principis Sacerdotum sustinuisse non dubium est: ita ut certatim et Judaeorum populi illuderent. Qui percussus atque consputus, non erubuit, sed quasi agnus ductus ad victimam est; et quasi ovis coram tondente non aperuit os suum. Quod autem Filius juxta suscepti corporis sacramentum a Patre audierit quid loquatur, in Evangelio plenius discimus, in quo ipse ait: Et qui misit me Pater, mandatum mihi dedit, quid dicam et quid loquar. Et iterum: Sicut audio, sic judico (Joan. VIII, 28; V, 30).

## (Vers. 8, 9.)

Juxta est qui justificat me: quis contradicet mihi? stemus simul. Quis est adversarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus auxiliator meus: quis est qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos.

LXX: Qui juxta est, justificat me: quis est qui judicetur mecum, resistat mihi simul? Et quis est qui judicium ineat adversum me? appropinquet mihi. Ecce Dominus auxiliator meus, quis affliget me? Ecce omnes vos quasi vestimentum veterascetis, et quasi tinea comedet vos. Si quis, inquit, me putat juste addictum cruci et aliquod fecisse peccatum, resistat mihi. Quis est qui judicetur mecum, ut non potentia majestatis meae, sed ratione superetur? Judicatur autem quis cum Domino, non

auctoritate regnantis, sed comparatione virtutum: quomodo et Apostoli judicant duodecim tribus Israel, et Ninivitae, ac regina Saba populum Judaeorum. Juxta quem sensum ad Jerusalem dicitur: Justificata est Sodoma ex te (Ezech. XVI, 52). Quia igitur nullus potest justificari praesente Domino, omnes quasi vestimentum veterascent (Ps. CI). Quod autem inveterascit, perditioni proximum est. Et quasi tinea, ait, comedet eos. Conscientia videlicet peccatorum; et zelus gentium salvatarum. De quo in fine hujus voluminis dicitur: Vermis eorum non morietur. Et in Michaea contra perversos principes: Auferam bona eorum quasi tinea excomedens, et ambulans super regulam in die speculationis (Mich. VII, 4, sec. LXX). Et in Proverbiis: Tinea ossium cor intelligens (Prov. XIV, 30, sec. LXX). Pro tinea, in praesenti loco Symmachus, rubiginem: Aquila vermem, interpretati sunt.

## (Vers. 10, 11.)

Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem servi ejus? Qui ambulavit in tenebris, et non est lumen ei: speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum.

LXX: Quis est in vobis qui timeat Dominum, exaudiat vocem pueri ejus: qui ambulant in tenebris non est eis lux. Confiditis in nomine Domini, et innitimini super Deo. Vos me flagellastis, vos meam faciem conspuistis: ego tamen ad poenitentiam provoco persecutores meos. Nolo enim mortem populi peccatoris, sed tantum ut revertatur et vivat (Ezech. XXXIII). Et dico: quis est inter vos qui timeat Dominum, et audiat vocem servi vel pueri, id est, Filii ejus? quorum aliud assumptae carnis est, aliud naturae. Nec vero parum putemus esse timere Dominum, juxta illud quod in Proverbiis dicitur: Principium sapientiae timor Domini (Prov. IX, 10). Perfecta quippe dilectio, foras mittit timorem: quia timor poenam habet. Qui autem timet non est perfectus in charitate. Sed hic timor pro

timiditate, et --- ponitur; de quo et alibi legimus: Beatus qui omnia metuit (Prov. XX), propter --- hoc est, propter timiditatem: quos vulgo appellant timoratos in religione Dei. Protegit enim Dominus iter eorum; et viam timoratorum custodit. De hoc timore scriptum est: Timor Domini omnia superat. Et alibi: Non est inopia timentibus eum (Eccli. XXV, 14; Ps. XXXIII, 10). Denique post multos virtutum gradus ad hujuscemodi timorem Domini pervenitur. Loquitur enim sermo divinus sub persona magistri et patris, discipulum erudientis et filium: Si invocaveris sapientiam, et intelligentiae dederis vocem tuam, et si quaesieris eam quasi pecuniam, et quasi thesauros investigaveris eam: tunc intelliges timorem Domini, et scientiam Dei reperies (Prov. II, 3). Iste est timor qui animas sanctorum integras ac pudicas purasque conservat, de quo dicitur, Timor Domini sanctus permanet in saeculum saeculi. Ad quem nos divina eloquia cohortantur: Timete Dominum, et date ei gloriam (Apoc. XIV, 7). Qui igitur sic timet Dominum, audiat vocem servi vel pueri ejus, qui ambulavit in tenebris, et non erat ei lumen; qui non habuit speciem nec gloriam, sed in similitudine carnis peccatricis suscepit formam servi, ut peccatum in carne superaret. De hoc dicitur, quia speret in nomine Domini, et innitatur super Deum suum: ut quidquid humanae fragilitatis est, divina majestate corroboret atque sustentet. Hoc juxta Hebraicum. Caeterum secundum Septuaginta de peccatoribus dicitur, qui noluerunt obedire voci Filii ejus, et in tenebris gradiuntur erroris, et idcirco non habent lucem. Neque enim fieri poterat, ut in perversam animam introiret sapientia. Qui nescierunt nec intellexerunt; et ideo in tenebris ambulant. Non enim fecerunt opera Domini atque mandata, nec seminaverunt sibi justitiam, neque vindemiaverunt vitem, ut accenderent sibi lumen scientiae. Qui enim desiderat sapientiam, servet mandata, et Dominus tribuet eam illi. Unde et ad Deum dicitur: Lux praecepta tua. Et alibi: Mandatum Domini lucidum illuminans oculos (Ps. XVIII, 9). Praecipiturque

impiis ut confidant in Domino, et peccatis ruentes, illius innitantur et sustententur auxilio.

## (Vers. 11.)

Ecce omnes vos accendentes ignem, accincti flammis, ambulate in lumine ignis vestri, et in flammis quas succendistis: de manu mea factum est hoc vobis, in doloribus dormietis.

LXX: Ecce omnes vos ignem accenditis, et confortatis flammam; ambulate in lumine ignis vestri, et in flamma quam succendistis; propter me facta sunt haec vobis. In moerore dormietis. Nihil prodest exhortatio; nec post scelera spes salutis est. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt (Ps. XIII); omnes sibi ignem succendunt, flammamque corroborant. Habent enim in se fenum, ligna, stipulam, spinas, ac tribulos, ac lolium, quae aeterno tradantur incendio. Unde et in Proverbiis scriptum est: In multis lignis viget ignis (Prov. XXV, 21). Sin autem parvulus ignis grandem materiam comprehendit; grandis flamma quanta populabitur? Dicitur et in Epistola quae fertur ad Hebraeos, de terra, quae proferens spinas et tribulos, reproba sit, et maledictioni proxima, finisque illius in combustionem (Heb. VI, 8). Ergo qui accincti sunt flammis atque circumdati, et sibi incendium roboraverunt, provocantur ad salutem, et dicitur ad eos: Ambulate in lumine ignis vestri: et in flammis quas succendistis, ut in poenis atque suppliciis discant Dei potentiam, et redeant ad salutem. Significat autem Judaici populi vastitatem, qua Romanis traditi sunt, et captivitatis jugum hucusque sustinent. De manu enim Christi haec facta sunt omnia, et in moerore ac doloribus dormient; quia nec beneficiis, nec tormentis, Dei filium recipere voluerunt. Unde loquitur ad eos: Ite in ignem aeternum, quem praeparavit Deus diabolo et angelis ejus (Matth. XXV, 41). Hoc est quod et Apostolus ait: Pervenit enim super vos ira in finem (I Thess. II, 16).

Hoc capitulo discimus, pro qualitate peccati, ignem sibi unumquemque succendere. Et quomodo in eodem manentes loco, et si dici potest lectulo, alii sani sunt, alii febrium succenduntur ardoribus, ex diversitate humorum atque pituitae diversa supplicia sentientes: sic ignis qui a peccatoribus succenditur, materiam in peccatis habet, et in iniquitate, de qua scriptum est: Ardebit sicut ignis iniquitas, et sicut gramen siccum vorabitur incendio (Isai. IX, 18).

## (Cap. LI.---Vers. 1 seqq.)

Audite me qui persequimini quod justum est, et quaeritis Dominum. Attendite ad petram, unde excisi estis, et ad cavernam laci de qua praecisi estis. Attendite ad Abraham patrem vestrum, et ad Saram quae peperit vos: quia unum vocavi eum, et benedixi ei, et multiplicavi eum. Consolabitur ergo Dominus Sion, et consolabitur omnes ruinas ejus, et ponet desertum ejus quasi delicias, et solitudinem ejus quasi hortum Domini. Gaudium et laetitia invenietur in ea, gratiarum actio et vox laudis.

LXX: Audite qui persequimini quod justum, et quaeritis Dominum. Attendite in robustam petram quam excidistis, et in foveam laci quam fodistis. Respicite in Abraham patrem vestrum, et in Saram quae peperit vos, quia unus erat et vocavi eum, et benedixi ei, et dilexi illum, et multiplicavi eum: et te nunc consolabor, Sion. Et consolatus sum omnia deserta ejus quasi paradisum, et ea quae ad occidentem sunt, quasi paradisum Domini: exsultationem et laetitiam invenient in ea, confessionem et vocem laudis. Dormientibus in moerore ac dolore perpetuo, qui succenderunt sibi ignem, et flammas robustissimas esse fecerunt, vos qui persequimini justitiam, et quaeritis Dominum (significat autem Apostolorum et per Apostolos credentium chorum), respicite petram, id est, Abraham patrem vestrum, de quo excisi estis, et ad cavernam laci, de qua praecisi estis, id

est, Saram quae peperit vos. Et hoc considerate, quia cum unius et centum esset annorum, et sterilem haberet uxorem, multiplicaverim filios ejus quasi stellas coeli, ita ut numerum vinceret multitudo. Si ergo de uno homine tanta populorum nata sunt millia; quid mihi grande est, ut instaurem ruinas Sion, et deserta ejus mutem in paradisum voluptatis, et in hortum Domini quem plantavit Deus in Eden contra Orientem: et inveniatur in ea pro diversis arboribus gaudium atque laetitia, confessio et vox laudis? Hoc Judaei ad Zorobabel tempora referunt, quia post Babyloniae vastitatem instaurata sit Sion, aedificatumque Templum, et antiqua religio reddita. Sed quomodo supra (ad cap. XLIX, 22, 23) dicitur ad Sion: Afferent filios tuos in ulnis, et filias tuas super humeros portabunt. Et erunt reges nutricii tui, et reginae nutrices tuae. Et: Ecce isti de longe venient, et illi ab Aquilone et mari, et isti de terra australi; quando dicet Sion: Angustus mihi est locus: fac mihi spatium ut habitem, quae mediocritatem excludunt illorum temporum, nec super terrena Jerusalem impleta noscuntur: sic et hic loquitur Dominus ad eos, qui persequuntur quod justum est, juxta illud quod alibi dicitur: Quaere pacem, et persequere eam (Psal. XXXIII, 5); et iterum: Hospitalitatem persequentes (Rom. XI, 13). Et quaerunt Dominum, ut ex prioribus conjiciat praesentia: cum multo difficiliora jam facta sint, haec quae promittuntur, futura non dubitent. Porro juxta LXX persecutoribus justitiae dicitur, ut aspiciant in robustissimam petram, quam exciderunt, et foveam laci quam foderunt, id est, Dominum Salvatorem, de quo Apostolus loquitur: Petra autem erat Christus (I Cor. X, 4). Et alibi scriptum est: Statuit supra petram pedes meos (Psal. XXXIX, 3). Et iterum: In petra exaltavit me. Hujus enim latus lancea perfoderunt, de quo exivit sanguis et aqua, et hujus foderunt manus et pedes, dicente ipso Domino Salvatore: Foderunt manus meas et pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea (Ps. XXI, 18). Possumus excisam petram, sepulcrum dicere Salvatoris, in quo conditus est, et resurgens a mortuis,

innumerabiles filios genuit. Et appellatus est Abraham, id est, pater multarum gentium. Sicut Sara prius sterilis, interpretatur Ecclesia, quae alio nomine appellatur Sion, quam Dominus consolatus est, et posuit deserta ejus quasi paradisum. Plures enim filii desertae, magis quam ejus quae habet virum. Quodque dicitur: Et ea quae ad Occidentem sunt, ponam in paradisum Domini, sive in hortum Dei, significat illud, quod sedentibus in tenebris et umbra mortis lux repentina surrexit. Pro paradiso, in cujus loco nos delicias vertimus, in Hebraico ponitur EDEN, de quo in principio Geneseos scriptum est. Et hoc notandum, quod in Sion, quae comparatur paradiso Dei, aliud esse non debeat, nisi gaudium et laetitia, confessio et vox laudis, ut quod in coelis facturi sunt sancti cum Angelis Dei, hoc etiam in terra jugi in Domini laude meditentur.

## (Vers. 4, 5.)

Attendite ad me, populus meus, et tribus mea, me audite: quia lex a me exiet, et judicium meum in lucem populorum requiescet. Prope est justus meus egressus est salvator meus: et brachia mea populos judicabunt. Me insulae exspectabunt, et brachium meum sustinebunt.

LXX: Audite me, audite me, populus meus, et reges, ad me attendite: quia lex a me egredietur, et judicium meum in lucem gentium. Appropinquat cito justitia mea, et egredietur sicut lux salutare meum: et in brachio meo gentes sperabunt. Me insulae exspectabunt, et in brachio meo sperabunt. Semel in Hebraico dicitur: Attendite, secundo juxta Septuaginta, audite me, audite me; ut doceat nos et auribus corporis, et sensu animae audire debere. Provocaturque gentium multitudo, quae est populus Dei, ut diligenter audiat quae dicuntur, de quo Zacharias: Confugient, inquit, gentes multae ad Dominum, et erunt ei in populum (Zach. II, 11). Sive ut quidam volunt, populus appellatur reliquiae ex Israel credentium; et tribus, sive gentes, hi qui crediderunt ex

multitudine nationum, dicente nationibus S. Moyse in Deuteronomii Cantico: Laetamini gentes cum populo ejus (Deut. XXXII, 43). Pro tribu, quam nos interpretati sumus, Theodotio, genus: Symmachus, gentem: LXX, reges, transtulerunt. Nos enim sumus, et tribus, et gens, et genus Domini regale et sacerdotale, qualis fuit et Abraham, qui rex appellatus est, et caeteri sancti, de quibus scriptum est: Nolite tangere Christos meos (Ps. CIV, 15). Quid est quod jubetur audire? Quia lex, inquit, a me egredietur, et judicium meum in lucem populorum, sive gentium. Hic lex Evangelii ostenditur spiritualis, quae exiet de Sion; non Moysi, quae olim in Sina data est; judiciumque meum in lucem gentium procedet, per quod statuit atque decrevit omnes gentes esse salvandas. Ac ne forsitan putaremus longo post tempore quod promisit esse venturum, infert, prope est justus meus, sive justitia. Christus enim a Patre factus est nobis sapientia et redemptio (I Cor. I), sanctitas ac justitia, et omnia quibus virtus nominibus appellatur. Pulchreque dicitur, justitia processura, ut nequaquam una gens, sed omnis salvetur orbis. Quod autem Salvator, sive salus, quod Hebraice dicitur Jesus, appelletur Filius Dei, qui missus a patre est, Simeon tenens puerum in ulnis suis, loquitur: Nunc dimittis servum tuum, Domine, quoniam viderunt oculi mei salutare tuum, quod praeparasti in conspectu omnium populorum, lumen in revelationem gentium (Luc. XI, 29 et seqq.) Quodque sequitur: Et brachia mea populos judicabunt. Sive juxta LXX, et in brachio meo gentes sperabunt, vel hoc significat, quod omnes virtute illius judicentur, vel quod in Christum, qui est brachium et fortitudo Dei, omnes crediturae sint nationes. Dicitur et in alio loco: Tuum brachium cum potentia. Confortetur manus tua, et exaltetur dextera tua (Ps. LXXXVIII, 14). Et iterum: Cantate Domino canticum novum: salvabit sibi dextera ejus, et brachium sanctum illius (Ps. XXVII, 1, 2). Dextera enim et brachium Domini, ipse est qui prius perditos salvavit sibi, ut nullus periret de his quos ei Pater dederat (Joan. XVII). Quod autem insulae, vel animae Sanctorum,

quae in persecutionibus mundi istius firma in Deum solidatae sunt fide, vel Ecclesiarum ex gentibus multitudo dicatur, crebro exposuimus. Et sicut brachium Domini, Salvatorem: sic brachia ejus quae populos judicent, omnes sanctos possumus intelligere, in quibus Deus mundum judicabit.

## (Vers. 6.)

Levate in coelos oculos vestros, et videte sub terram deorsum: quia coeli sicut fumus liquescent, et terra sicut vestimentum atteretur: et habitatores ejus sicut haec interibunt. Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet.

LXX: Levate in coelum oculos vestros, et inspicite terram deorsum, quoniam coelum sicut fumus firmatum est. Terra autem sicut vestimentum veterascet, et habitatores ejus sicut haec morientur. Salutare autem meum in sempiternum erit, et justitia mea non deficiet. Hoc est quod Dominus loquitur in Evangelio: Coelum et terra transibunt: verba autem mea non praeteribunt (Mat. XXIV, 35). Et David in psalmo canit: A principio tu, Domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt coeli. Ipsi peribunt, tu autem permanes, et omnes sicut vestimentum veterascent; et sicut pallium involves eos, et mutabuntur (Ps. CI, 26). Ex quo ostenditur, perditionem coelorum non interitum sonare, sed mutationem in melius. De quibus dicitur: Erit coelum novum, et terra nova: quae ego faciam permanere in conspectu meo (Apoc. XXI, 2). Si enim de sanctis scriptum est: Omnes quidem dormiemus, sed non omnes immutabimur (I Cor. XV, 51): et in quatuor psalmorum titulis agitur: Pro his qui immutabuntur: quanto magis hoc de coelo ac sole stellisque credendum est, quando luna solis lumen accipiet et sol septuplo fulgore rutilabit? Unde et omnis creatura congemiscit et parturit, exspectans revelationem filiorum Dei, ut mutetur in melius (Rom. VIII).

Et non solum animae hominum, quae immortales sunt: sed et corpora commutentur in glorificatam substantiam. Oportet enim corruptivum hoc induere incorruptionem, et mortale hoc induere immortalitatem (I Cor. XV, 53). Cum autem coelum veterascat et terra, consequenter et ea quae coeli circulo continentur, et homines, qui sunt habitatores terrae, sicut haec morientur: non in interitum sui, sed in abolitionem vilitatis antiquae, et innovationem futurae gloriae; quando fulgebunt justi sicut sol (Matth. XIII, 43); et abeuntibus praeteritis atque antiquis, facta fuerint omnia nova. Quidam perire et veterascere, pro abolitione et morte accipiunt. Juxta illud quod in catholica Epistola legimus: Coeli qui nunc sunt et terra, eodem verbo reservata sunt igni. Et iterum: Elementa ardentia solventur (II Pet. III, 7). Quae quidem et philosophorum mundi opinio est, omnia quae cernimus igni peritura. Unde et Apostolus: Pertransit, ait, figura mundi hujus, contemplantibus nobis, non ea quae videntur, sed quae non videntur. Quae enim videntur, temporalia sunt: quae autem non videntur, aeterna (I Cor. VII, 32). Tale quid et Joannes apostolus scribit: Mundus pertransit, et desiderium ejus (I Joan. II, 17). Et in Hebraico dicitur: Coeli sicut fumus liquescent. Sive juxta Aquilam et Symmachum, comminuentur in nihili, et in salis modum conterentur et evanescent, quorum prior dixit, alter, --- quod a comminutione et deliquio salis --- trahere manifestum est. Pro quo miror quid dicere voluerint Septuaginta, coelum sicut fumus firmatum est: si enim firmitas pro robore accipitur, quomodo fumo quod firmum est, comparatur? Nisi forsitan possumus hoc dicere, quod omnis coelorum firmitas et robur et fortitudo, vento inanissimo et fumo, qui in auras solvitur, coaequetur juxta Ecclesiasten: Vanitas vanitatum, et omnia vanitas (Eccl. I, 2). Illudque dicendum, quod si coelum et terra peribunt atque veterascent, qua consequentia habitatores ejus sicut ista moriantur atque dispereant; cum animas esse perpetuas, et resurrectura corpora noverimus? Ex quo

perspicuum est, coelum et terram non perire, et in nihili redigi; sed in melius commutari.

## (Vers. 7, 8.)

Audite me qui scitis justum, populus meus: lex mea in corde eorum. Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis: et sicut lanam, sic devorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit, et justitia mea in generationes generationum.

LXX: Audite me qui scitis judicium, populus meus: cujus lex mea in corde eorum. Nolite timere opprobrium hominum, et contemptu eorum ne vincamini. Sicut enim vestimentum consumentur tempore, et sicut lanae comedentur a tinea. Justitia autem mea in aeternum erit, et solus mea in generationes generationum. Qui supra dixerat: Lex a me egredietur, et judicium meum in lucem gentium: nunc ad eosdem loquitur, qui sciunt judicium ejus, et legem illius habent in cordibus suis, ut omnia cum judicio faciant, et habeant legem quam per Jeremiam Dominus pollicetur, dicens (Jer. XXXI, 31 et seqq.): Statuam testamentum novum, non juxta testamentum quod disposui patribus eorum: sed statuam testamentum, dans leges meas in mentibus eorum: et super cor eorum scribam eas; et ero eorum Deus, et ipsi erunt populus meus: ut nequaquam vivant juxta litteram, sed juxta spiritum, instaurantes naturalem legem in cordibus suis, de qua scribit et Apostolus: Cum enim gentes, quae non habent legem, naturaliter ea quae legis sunt faciunt: isti legem non habentes, sibi ipsi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis (Rom. II, 14). De qua lege significatur in psalmo: Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquetur judicium. Lex Dei ejus in corde illius: et non supplantabuntur gressus ejus (Ps. XXXVI, 30, 31). Et quia sciebat spiritus prophetalis, multas persecutiones credentibus fore, exhortatur eos ad fortitudinem. Quod et

Dominus in Evangelio loquebatur: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius eum timete, qui potest animam et corpus perdere in gehennam (Matth. X, 28). Et in alio loco: Gaudete, cum omne malum dixerint adversum vos mentientes (Ibid., V, 11). Sicut enim vestimentum consumitur verme, vel tempore; et sicut lanae a tinea devorantur: sic omne persecutorum opprobrium cum persecutoribus pertransibit. Unde et Apostoli gloriabantur, quod digni essent habiti pro Domino pati contumelias (Act. V). Gloriabantur autem, quia salus et justitia Domini, quae eis victoriam et praemia repromiserat, id est, Dominus atque Salvator permaneat in aeternum, sive in utraque generatione prioris populi et posterioris, qui adventum illius receperunt, de quo et supra dicitur: Prope est justus meus, egressus est salvator meus.

## (Vers. 9 seqq.)

Consurge, consurge; induere fortitudine brachium Domini. Consurge sicut in diebus antiquis in generationibus saeculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti draconem? Numquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis, qui posuisti profundum maris viam, ut transirent liberati? Et nunc qui redempti sunt a Domino, revertentur et venient in Sion laudantes; et laetitia sempiterna super capita eorum: gaudium et laetitiam tenebunt, fugiet dolor et gemitus. LXX: Exsurge, exsurge ÷ Jerusalem ** et induere fortitudine brachii tui. Exsurge sicut in principio diei, sicut generatio sempiterna. Nonne tu es quae excidisti latitudinem, dissolvisti draconem? Nonne tu es quae desertum fecisti mare, aquas abyssi multas: quae posuisti profundum maris viam transitus, his qui fuerant liberati et redempti? A Domino enim reducentur, et venient in Sion cum laetitia et exsultatione aeterna. In capite enim eorum laus et laetitia apprehendet eos. Fugiet dolor et moeror et

gemitus. Nomen Jerusalem, quod hic a LXX additum est, nec in Hebraeo habetur, nec ullus trium Interpretum posuit, unde obelo praenotandum est, et sic cum superiori sensu sequens capitulum copulandum. Dominus credentes in se fuerat cohortatus, dicens: Nolite timere opprobrium hominum, et blasphemias eorum ne metuatis. Salutemque suam et justitiam sempiternam eis promiserat in auxilium, quae non est alia praeter Christum, brachium Domini, de quo supra dixerat: Et in brachium meum gentes sperabunt. Unde populus loquitur ad brachium Domini, et ejus deprecatur adventum, et promissum implorat auxilium dicens: Consurge, consurge: induere fortitudine, brachium Domini. Consurge sicut in diebus antiquis, et omnem tuam exerce fortitudinem, ut qui per multa saecula Sanctos tuos de periculis liberasti, etiam nos tua fortitudine protegas. Tu es enim qui percussisti superbum, vulnerasti draconem, regem videlicet Aegypti Pharaonem, qui et in Ezechiel draco magnus appellatur (Ezech. XXIX). Tu siccasti mare Rubrum, ut per aquas vehementissimas, et profunda maris, viam tuus populus reperiret, et Aegyptios fugeret persequentes. Qui igitur ista fecisti: nunc quoque redemptos et liberatos sanguine tuo, reduc in Sion, et in coelestem Jerusalem, sive in Ecclesiam quam tibi tuo sanguine praeparasti: in qua cum fuerint, gaudebunt laetitia sempiterna, et dicent: Domine, ut scuto bonae voluntatis tuae coronasti nos (Ps. V, 13). Habebunt enim gaudium atque laetitiam, fugiente dolore et gemitu. Hoc juxta Hebraicum. Caeterum juxta LXX Jerusalem, id est, peccatrix anima provocatur ut induat fortitudinem brachii sui, et priora assumat opera, sicut fuerat antequam caderet: quando in die versabatur et luce. Tu es enim, inquit, quae superasti latam et spatiosam viam quae ducit ad mortem: et dissipasti draconem, colubrum tortuosum: de quo et in Psalmis legitur: Tu contrivisti capita draconum in aquis (Ps. LXXIII, 13). Memento prioris fortitudinis tuae, quod saeculi hujus calcaveris mare, et illud feceris esse desertum, et viam repereris in mediis fluctibus. Unde et Apostolus Petrus per

mare hujus saeculi transivit ad Dominum, et qui fide ambulabat, coepit infidelitate mergi: nisi quod dextera Domini sustentatus est. Sicut igitur prior victoria Domino auxiliante concessa est: sic et reversis post poenitentiam, et audientibus: Numquid qui cadet, non surget? dicit Dominus (Jer. VIII, 4). Et, Convertimini ad me, filii convertentes; et ego sanabo contritiones vestras (Ibid., III), ipse porriget manum, et reducet eos in Sion, speculam culmenque virtutum, cum gaudio atque laetitia sempiterna, et ponet in capite eorum laudem atque laetitiam. Sapientis enim oculi in capite ejus; et hanc habebunt coronam, istoque diademate protegentur, ut semper gaudeant et laudent Dominum, quia pro dolore, moerore et gemitu successerint gaudia.

## (Vers. 12, 13.)

Ego, ego ipse consolabor vos. Quis tu, ut timeres ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fenum ita arescet? Et oblitus es Dei factoris tui, qui tetendit coelos, et fundavit terram: et formidasti jugiter tota die a facie furoris ejus, qui te tribulabat; et paraverat ad perdendum. Ubi nunc est furor tribulantis? Cito veniet gradiens ad aperiendum, et non interficiet usque ad internecionem: nec deficiet panis ejus. Ego autem sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, et intumescunt fluctus ejus: Dominus exercituum nomen meum. Posui verba mea in ore tuo: et in umbra manus meae protexi te, ut plantes coelos et fundes terram, et dicas ad Sion: Populus meus es tu.

LXX: Ego sum, ego sum ipse qui consolor te. Scito quae fueris et timueris ab homine mortali, et a filio hominis, qui quasi fenum arefacti sunt, et oblitus es Dei factoris tui: qui fecit coelum, et fundavit terram, et timebas semper cunctis diebus faciem furoris tribulantis te, sicut cogitavit auferre te; et nunc ubi est furor tribulantis te? Cum enim salva facta fueris, non stabit,

neque permanebit + et non occidet in corruptionem, et non deficiet panis ejus ** quia ego Deus tuus qui conturbo mare, et sonare facio fluctus ejus. Dominus sabaoth nomen mihi. Ponam verba mea in ore tuo, et in umbra manus meae protegam te: in qua statui coelum, et fundavi terram; et dicet Sion, populus meus es tu. Credentium populus brachium Domini, qui ipse est Dei virtus Deique sapientia, fuerat deprecatus, ut consurgeret, et sibi praeberet auxilium, et illo pugnante pro sanctis, gaudium atque laetitiam, fugato dolore et gemitu, possiderent. Itaque vel brachium Domini, vel Dominus ipse respondit: Ego sum, ego sum; et nequaquam per Prophetas, sed ipse vos consolabor: Deus misericordiarum, et Pater totius consolationis. Mirorque quomodo, me dicente supra: Nolite timere opprobrium hominum et blasphemias eorum ne metuatis, timueritis persecutorum rabiem, et nescieritis eos esse mortales, qui instar foeni arescunt repente, et pereunt. Et certe eo tempore quo illos metuebas, oblitus es Domini factoris tui. Si enim mei semper memoria in tuo fuisset corde versata, numquam timuisses homines, qui in cinerem dissolvendi sunt. Et cujus oblitus es? Dei qui coelos incredibili virtute suspendit, et terram stabili mole fundavit. Et timuisti adversarios tuos, non ad breve, quod poterat tibi aliqua ex parte concedi; sed jugiter et tota die, ut cum haberes lumen fidei, tenebrae te formidinis possiderent, et ejus qui te putabat esse periturum. Ubi est ergo nunc persecutorum superbia? Ubi potentia saecularis, qua in te ore rabido saeviebant? Cito veniet filius meus, gradiens et conculcans adversarios tuos, ut aperiat tibi viam victoriae: sive ut inferos reseret, qui non interficiat usque ad internecionem; sed velit salvare conversos. Denique panis illius, qui interpretatur, Evangelio probante, doctrina, nunquam deficiet, sed semper volentibus ad vescendum patebit. Simulque apostropham facit ad Filium, quem cito promittit esse venturum, et cujus panem dicit esse perpetuum: quod ipse sit juxta dispensationem carnis assumptae Dominus Deus ejus, qui conturbari

faciat mare, et intumescere fluctus ejus, ut adversum servos suos persecutorum infletur superbia, quae iterum, auxiliante Domino, conquiescat. Dicitque, quod posuerit verba sua in ore ejus. Quidquid enim Filius loquitur, verba Patris sunt, et in umbra manus suae protexerit eum. Et idcirco protectus sit ut plantet coelos novos, et fundet terram novam, et dicat ad Sion, hoc est, ad Ecclesiam: Populus meus es tu. Ergo Sion non est alia, nisi populus Dei. Symmachus in eo loco, ubi nos diximus, Cito veniet gradiens ad aperiendum, et non interficiet usque ad internecionem, ita interpretatus est: Cito infernus aperietur, et non morietur in corruptionem, subauditur Christus, qui in quinto decimo psalmo loquitur: Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. In eo quoque loco ubi nos juxta Hebraicum et Aquilam vertimus: Posui verba mea in ore tuo, et in umbra manus meae protexi te, ut plantes coelos, et fundes terram, et dicas ad Sion: populus meus es tu, ille sic transtulit: Ponam verba mea in ore tuo, et in umbra manus meae protegam te, in qua plantavi coelum, et fundavi terram, et ut dicam Sion: populus meus es tu. Juxta LXX, ad omnem credentium dicitur animam, quia creata ad imaginem et similitudinem Dei, suam ignoraverit dignitatem; sed timuerit hominem et filium hominis, qui solum potest corpus occidere, et immortalem se esse nescierit, nec dixerit cum Propheta: Dominus illuminatio mea et salvator meus, quem timebo? Dominus protector vitae meae, a quo trepidabo (Ps. XXVI, 1, 2)? Et iterum: Dominus adjutor meus, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus auxiliator meus, et ego despiciam inimicos meos (Ps. CXVII, 6, 7). Quid sit autem homo, alio versiculo demonstratur: In Domino sperabo: non timebo quid faciat mihi caro (Ps. LV, 5). Unde et nunc dicitur: Timuisti ab homine mortali, et a filio hominis, qui sicut foenum arefacti sunt. Omnis enim caro foenum, et omnis gloria ejus quasi flos foeni (Isai. XL), et territa judicis potestate, oblita es quod ipse esset protector tuus, qui coelum fecit et terram, et omnia elementa quae cernimus;

vel eos coelos qui portant imaginem supercoelestis, et eam terram quae sementem Domini multiplicat. Illud autem quod supra dicitur: Et non occidet in corruptionem, et non deficiet panis ejus, de Theodotionis editione ex Hebraico additum est. Ipse conturbat mare, et sonare facit fluctus ejus cui et in Psalmis canitur: Tu dominaris fortitudini maris et commotionem fluctuum ejus tu mitigas (Ps. LXXXVIII, 10). In Jeremia quoque scriptum est: Me non timebitis, dicit Dominus, et a facie mea non formidabitis, qui posui arenas terminum mari, praeceptum sempiternum quod non praeteribit (Jerem. V, 22)? Turbata sunt maria, quando sagena Domini extraxit piscium multitudinem (Matth. XIII). Et posuit Dominus verba sua in ore credentis, et in umbra manus suae protexit eum. Qui et in Evangelio loquitur: Quando tradiderint vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini; sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis (Matth. X, 19, 20). Et in alio loco dicit ad justum: Dilata os tuum et implebo illud (Ps. LXXX, 12). Et iterum: Aperi os tuum verbo Dei: Dominus enim dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Unde ad interiorem Jeremiae hominem loquitur Deus, postquam tetigit os ejus: Ecce ego dedi sermones meos in ore tuo (Jerem. I, 9). Qui poterat cum Psalmista canere: Misit in ore meo canticum novum, hymnum Deo nostro (Ps. XXXIX, 4). Quis autem haec operatus est omnia, nisi Dominus atque Salvator, qui coelum fecit et terram, et dicit Sion: Populus meus es tu? Quod propriae Ecclesiae convenit de gentibus congregatae. Et in Osee credentibus pollicetur, dicens: Vocabo non populum meum, populum meum: et ipse dicet mihi: Deus meus es tu (Osee. II, 24).

## (Vers. 17 seqq.)

Elevare, elevare, consurge Jerusalem, quae bibisti de manu Domini calicem irae ejus: usque ad fundum calicis soporis bibisti, et potasti usque ad feces. Non est

qui sustentet eam, ex omnibus filiis quos genuit: et non est qui apprehendat manum ejus, ex omnibus filiis quos enutrivit. Duo sunt quae occurrerunt tibi, quis contristabitur super te? vastitas et contritio, et fames, et gladius: quis consolabitur te?

LXX: Exsurge, exsurge, elevare Jerusalem, quae bibisti de manu Domini calicem furoris ejus. Calicem enim ruinae --- furoris ebibisti et evacuasti: et non erat qui consolaretur te ex omnibus filiis tuis quos genuisti; et non erat qui apprehenderet manum tuam: neque ex omnibus filiis tuis, quos exaltasti. Duo haec contraria tibi: quis contristabitur tecum? ruina et contritio, fames et gladius: quis consolabitur te? Jerusalem et Sion esse υώνυμον saepe docui: quarum Sion, quae interpretatur specula, eo quod in monte sita sit, arx vocatur: reliqua autem urbis pars, Jerusalem dicitur, quae prius appellabatur Jebus et Salem: quam nunc Propheta cohortatur ut surgat, quae prius negatione corruerat, dicens in Domini passione: Crucifige, crucifige talem: non habemus regem nisi Caesarem (Joan. XIX, 15): et agat poenitentiam, et captivitatis sentiat malis, cur suum offenderit Creatorem. Solent medici amarissimam antidotum, quae ex gustu nomen accepit, dare stomacho nauseanti, ut noxios humores evomat, et possit coctos cibos atque digestos in alvum transmittere, quos flegmatum magnitudo digeri non sinebat. Igitur et Jerusalem, quae bibit de calice furoris Domini, et de --- ejus, quem Symmachus craterem interpretatus est, et quem juxta Geneseos librum, Joseph in sacculo fratris Benjamin jussit abscondi (Genes. XLIV), jubetur de ebrietate consurgere, eo quod biberit, et vacuefecerit, et potaverit eum usque ad feces: quod tres uno indicavere sermone. Hic est calix de quo in Psalmis legimus: Calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Et inclinavit ex hoc in illud, verumtamen fex ejus non est exinanita: bibent omnes peccatores terrae (Ps. LXXIV, 9, 10). De quo et ad Jeremiam Deus loquitur: Sume calicem vini meri de manu mea: et propinabis cunctis gentibus, ad

quas ego mittam te. Et bibent et voment, et insanient a facie gladii, quem ego mittam in medio eorum (Jerem. XXV, 15, 16). Cumque aliis gentibus, et Jerusalem, urbibusque Judaeae propinasse se dicat, infert: Sic dicit Dominus Omnipotens Deus Israel: Bibite et inebriamini, et evomite: et cadite a facie gladii, quem ego mittam in medio vestri (Jer. XXV, 27). Et notandum quod calix iste furoris Domini, gladius ejus sit, qui in medio mittitur peccatorum. In quo quaestio nascitur: quomodo post potum, ebrietatem vomitumque et ruinam, in Jeremia dicatur Jerusalem non posse consurgere, et nunc per Isaiam loquatur ad eam: Elevare, elevare, consurge Jerusalem. Quae ita solvitur: Quamdiu quis bibit calicem, et inebriatur, et insanit, vomitque, et corruit, non eum posse consurgere, necdum enim epotavit calicem Domini, nec pervenit ad feces, ut eum usque ad fundum biberit. Nunc autem ad Jerusalem de praeterito dicit tempore: quae bibisti de manu Domini calicem furoris ejus: et non, quae bibis. Simulque considerandum, quod non propheta, non Apostolus exinde fuerit in Judaea, qui eam consolatus sit, et apprehenderit manum ejus, et jacentem elevaverit. Ex quo manifestum est, quod post ultimam captivitatem ista dicantur: alioquin in Babylone et post Babylonem, Ezechiel et caeteros Prophetas habuisse eam, narrat historia. Quod autem dicit: Duo sunt, quae occurrerunt tibi, sive duo haec contraria tibi: quis contristabitur super te? Et pro duobus, infert quatuor: vastitatem et contritionem, famem et gladium: illi simile est quod in Psalterio canitur: Semel locutus est Deus, duo haec audivi: quia potestas Dei est, et tibi, Domine, misericordia: quia tu reddes unicuique juxta opera sua (Ps. LXI, 12, 13). Et ibi enim semel loquitur Deus, quod omnipotens sit, et duo audit Propheta, quod omnipotentia illius in utraque parte praevaleat, ut et poenitentibus tribuat misericordiam, et permanentibus in peccato reddat supplicia quae merentur. Juxta quod et in alio loco duo occurrerunt Jerusalem, quae singula bina habent. Ruinam enim, sive vastitatem sequitur contritio: famem et

gladium interitus. Possumus haec juxta anagogen, et super anima intelligere peccatrice, quae nolens bibere calicem furoris Domini, dicit in psalmo: Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me (Ps. VI, 1). Si autem biberit, bonum est ei sua sentire supplicia, et audire Dominum dicentem: Cum ira furoris mei transierit, rursum curabo. Et alibi: Numquid qui cadit non resurget, dicit Dominus (Jerem. VIII, 4)?

## (Vers. 20.)

Filii tui projecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, sicut oryx illaqueatus: pleni indignatione Domini, increpatione Dei tui.

LXX: Filii tui indigentes et dormientes in capite omnium viarum: sicut beta semicocta, pleni furoris Domini, et deficientes a Domino Deo. Pro beta semicocta, reliqui interpretes, orygem captum et illaqueatum, transtulerunt, qui Hebraice appellatur THO, quod genus bestiae nascentis in eremo, inter munda animalia in Levitico et Deuteronomio ponitur. Pro quo LXX Syra lingua opinati sunt thoreth, quae dicitur beta. Hoc de nomine transeamus ad sensum. Filii tui sicut oryx venatorum laqueis irretitus, dormierunt in compitis et plateis, et super nudam humum nuda membra ponentes, indignationem Domini et increpationem Dei sui, propriis miseriis indicarunt. Porro juxta Septuaginta: qui noluerint habere divitias spirituales in omni verbo, et scientia, et operibus bonis; sed fuerint pauperes qui non sustinent comminationem, nequaquam habitabunt in domibus, quae virtutibus exstruuntur, sed in principiis viarum, et in exitu tangentes omnia, et omnia relinquentes. Qui recte dormire dicuntur illo somno, de quo scribitur: Dormierunt somnum suum, et invenerunt nihil (Ps. LXXV, 6). Quo somno consopivit eos rex Assyrius. Et comparantur betae semicoctae, quod genus oleris est vilissimi et fragilissimi. De quibus oleribus puto illud in Psalmis dici: Ne zeleris in

malignantibus, neque aemuleris facientes iniquitatem. Quoniam sicut foenum velociter arescent, et sicut olera herbarum cito decident (Ps. XXXVI, 1, 2). Est enim aegrotantium cibus. Qui semel incredulus est, appellatur beta cruda. Qui autem simplici contentus fide, absque ratione et dogmatum veritate facit opera justitiae, potest dici beta cocta. Porro qui inter vitia atque virtutes medius fluctuat, et duplici corde accedit ad servitutem Dei, iste rectissime vocatur beta semicocta, ad quem et in Apocalypsi Joannis loquitur Deus: Utinam aut calidus esses aut frigidus: nunc autem quia tepidus es, evomam te (Apoc. III, 15, 16). Qui tepidi et dormientes, pleni sunt furoris Domini, et dissoluti, sive deficientes per Dominum Deum: non quo Dominus dissolutionis eorum causa sit, qui mortem non fecit, nec delectatur in perditione viventium: sed quo qui in Lege peccaverint, per Legem judicentur, quae operatur iram Dei his qui praevaricatores ejus sunt.

## (Vers. 21 seqq.)

Idcirco audi haec, paupercula et ebria non a vino. Haec dicit dominator tuus Dominus et Deus tuus, qui pugnavit pro populo suo: Ecce tuli de manu tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meae: non adjicies ut bibas illum ultra. Et ponam illum in manu eorum, qui te humiliaverunt, et dixerunt animae tuae: incurvare ut transeamus, et posuisti ut terram corpus tuum, et quasi viam pertranseuntibus.

LXX: Propterea audi, humiliata et ebria non a vino. Sic dicit Dominus Deus qui judicat populum suum: Ecce tuli de manu tua calicem ruinae, --- furoris mei: et non adjicies bibere illum ultra: et dabo eum in manus eorum, qui te inique oppresserunt, et humiliaverunt: qui dixerunt animae tuae, inclinare ut transeamus, et posuisti aequalia terrae media tua a foris transeuntibus. O Jerusalem, cui dixi: Elevare, elevare, consurge, et age poenitentiam: quia bibisti de manu Domini calicem furoris

ejus, et epotasti eum usque ad feces: et filii tui, qui in toto orbe dispersi sunt, ductique captivi jacuerunt in plateis, et in capitibus viarum; scito te esse pauperculam et humiliatam, et ebriam, non a vino, sed furore Domini. Idcirco si egeris poenitentiam, et elevata surrexeris, scies calicem soporis et ruinae: sive juxta Symmachum et Theodotionem, lacerationis et commotionis, de manu tua esse tollendum: et condy, pro quo et in hoc loco Symmachus craterem interpretatus est, te ultra non esse bibituram: sed tradendum adversariis tuis, qui dixerunt animae tuae, incurvare, ut transeamus: illisque dicentibus, voluntate propria incurvata es. Et posuisti quasi terram corpus, sive dorsum: vel juxta Septuaginta, media et cervices tuas foris transeuntibus. Hoc juxta historiam dictum sit, quod Jerusalem si elevare se voluerit, atque consurgere, nequaquam bibat calicem furoris Domini, nec patiatur ultra quae prius sustinuit. Caeterum ut veniamus juxta Septuaginta ad intelligentiam spiritualem, animae dicitur humiliatae vitiis, et ebriae perturbationibus, ut sciat Dominum habere se judicem, et de omnibus reddituram se esse rationem. Quod si fuerit ad meliora conversa, auferendum calicem ruinae de manibus ejus, et craterem furoris Domini, qui supplicia continebat, de quo et Ezechiel dicit ad Jerusalem: Calicem sororis tuae Samariae bibes profundum et latum, ut inebrieris (Ezec. XXIII, 32), tradendum in manibus eorum, qui eam humiliaverant. Haud dubium quin adversarias significet potestates, quae dixerunt animae illius: incurvare, ut transeamus. In quo pariter annotandum, quod non eam incurvaverint, nec vim fecerint, ut prius erecta inclinaretur in terram: sed proprio arbitrio dereliquerint. Illa autem voluntate sua posuerit cervices vel dorsum, sive totum corpus suum, non intus, sed foris, his qui eam conculcaverint. Tale quid et in Evangelio legimus (Luc. XIII), quia decem et octo annis Satanas incurvaverat mulierem, quam Dominus ad statum pristinum erexit, ut posset dicere: Levavi oculos meos in

montes, unde veniet auxilium mihi (Ps. CXX, I); et: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelo (Ps. CXXII, I).

## (Cap. LII.---Vers. 1.)

Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion: induere vestimentis gloriae tuae, Jerusalem civitas Sancti: quia non adjiciet ultra, ut pertranseat per te incircumcisus et immundus. LXX: Exsurge, exsurge, ÷ Sion: ** induere fortitudine tua, Sion, et induere gloria tua, Jerusalem civitas Sancta. nequaquam ultra adjiciet, ut pertranseat per te incircumcisus et immundus. Rursum et in hoc loco nomen Sion, ut superius a LXX, additum est, et idcirco jugulatum veru. Cui ergo supra (Cap. LI, 9) dixerat: Elevare, elevare, consurge, Jerusalem: nunc eidem loquitur: Consurge, consurge, induere fortitudine tua, Sion. Quae sit autem Sion, sequens versus ostendit: Induere vestimentis gloriae tuae, Jerusalem. Hoc diximus, ut Jerusalem et Sion unam probemus urbem. Praecipiturque ei, ut lugubria vestimenta deponat, et induatur his quae habuit antequam biberet de manu Domini calicem furoris. Appellaturque civitas sanctuarii, hoc enim sonat CODES propter templum, quod in ea conditum fuit. Sive Sancti, propter notitiam Dei: vel sancta, quia sola in orbe terrarum acceperat legem. Unde et post resurrectionem Salvatoris apparuerunt corpora mortuorum in civitate sancta. Quae utique propter blasphemiam et missas in Dominum manus, sancta esse non poterat (Matth. XXVII). Quodque promittitur, si surrexerit post ruinam, et induta fuerit fortitudine et gloria sua, nequaquam ultra transiturum per eam incircumcisum et immundum, hoc significat, quod et Paulus Apostolus dicit: Quae participatio justitiae cum iniquitate? Quae societas luci ad tenebras? Quae conventio Christi ad Belial? Quae pars fideli cum infidele? Quis consensus templo Dei cum idolis (I Cor. VI, 14, 15)? Quae quidem, ut exponere coepimus, et ad animae statum universa referuntur. Quod si per poenitentiam

pristinum robur receperit, vocetur habitaculum Sancti, et fiat Templum Dei, et nequaquam per eam incircumcisus et immundus --- transeat. De quibus dictum est: Ab occultis meis munda me, Domine, et ab alienis parce servo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, et emundabor a delicto maximo (Ps. XVIII, 13, 14). Omnia autem quae promittuntur Sion et Jerusalem, non ut Judaei somniant ad lapides illius et cineres favillasque dicuntur, ut instauretur in pristinum statum: sed ad populum Jerusalem, qui occidit Prophetas, et lapidavit eos, qui ad se missi erant (Matth. XXIII), et ad extremum etiam in Dei filium misit manus. Qui corruens in passione Christi, in resurrectione illius suscitatus est: quando multa millia crediderunt de Judaeis, et reliquiae salvae factae sunt. Eadem et de ecclesia locale possumus dicere, quae visio pacis et specula, si in haeresim corruerit, jubetur exire et pristinae fidei ornamenta suscipere. Et si fuerit suscitata, sanctitatis ei et continentiae praemia promittuntur, ut nequaquam per eam transeat incircumcisus et immundus. Quod non ad carnis concisionem atque praeputium, sed ad operum immunditiam, sive munditiam referri potest, ut incircumcisos et immundos vocemus, qui corporis voluptati et libidini serviunt. Denique ad circumcisos carne, non spiritu loquitur Jeremias: Omnes gentes incircumcisae carne sunt: filii autem Israel incircumcisi sunt cordibus suis (Jerem. IX, 26). Et beatus Apostolus de virginitate et continentia ac nuptiis disputans, jecit in medio: Circumcisus aliquis vocatus est, non adducat praeputium. In praeputio vocatus est, non circumcidatur (I Cor. VII, 18). Quod mihi videtur aliis verbis dicere: Absque uxore vocatus est, et crediderit, non ducat uxorem [est consilium]. Vel econtrario: habens uxorem, in Christum credidit, nequaquam divortium faciat. Quem sensum, non solum in circumcisione et in praeputio, sed in libertate ac servitute custodit, ut liberos vocet virgines et continentes, servos qui uxori debitum reddant. Neque enim potestatis nostrae est praeputium adducere post circumcisionem,

juxta eos qui in Machabaeorum libro dicuntur sibi fecisse praeputia: quod de nascentibus filiis, et non de patribus dicitur. Aut qui liber vocatus est, magis servus est Christi (Ibid., VII, 22), cum in Christi baptismate nulla sit differentia Judaei, ethnici, Graeci, et Barbari, viri et mulieris, liberi ac servi.

## (Vers. 2, 3.)

Excutere de pulvere: consurge sede, Jerusalem: solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Quia haec dicit Dominus: Gratis venundati estis, et sine argento redimemini.

LXX: Excute pulverem, et exsurge, Jerusalem. Solve vinculum colli tui, captiva filia Sion. Quia haec dicit Dominus: Gratis venundati estis, et sine pecunia redimemini. Nequaquam ad Jerusalem, id est, ad ruinas lapidum illius, et cineres ac favillas Prophetae esse sermonem, sed ad populum qui habitet in ea, et quod propter effeminationem animi filia nominetur, sequens versus ostendit, in quo ait: Solve vincula colli tui, captiva filia Sion. Vere enim captivus est populus Judaeorum, qui usque hodie Nabuchodonosor portat jugum, et peccatorum ac blasphemiarum suarum strictus est funibus: qui gratis est venditus, et nihil fecit dignum propter quod possit redimi. Cui et supra dicitur: Ecce peccatis vestris venundati estis: et in iniquitatibus vestris dimisi matrem vestram. Causasque reddit, cur venundati sint, cur abjecti. Quia, inquit, veni, et non erat homo: vocavi, et non erat qui audiret. Ex quo manifestum est, ideo errori et daemonibus eos traditos, quia non audierant clamantem: Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis (Matth. XI, 28). Redimentur autem qui voluerint credere, nequaquam argento et pecunia, sed pretioso Christi sanguine, ut audiant per Apostolos: Gratia vobis et pax (Rom. I, 7). Non enim ob merita, sed ob gratiam et fidem Christi Deo reconciliati sumus.

Animae quoque dicitur, quae vitiorum polluta sordibus, candorem pristinae conversationis amiserat, ut excutiat pulverem cum Apostolis, qui adhaesit pedibus ejus (Matth. X). Neque enim fieri poterat, ut quae prostrata subjecerat cervices suas foris transeuntibus: et media terrae sociaverat, dixeratque: Humiliata est in pulvere anima mea, adhaesit terrae venter meus (Ps. XLIII, 25), non imaginem terreni acceperit. A qua nos revocat Apostolus, dicens: Sicut portavimus imaginem terreni, sic portemus et imaginem coelestis (I Cor. XV, 49). Unde qui in carne sunt, placere Deo non possunt (Rom. VIII). Non quo carnis natura damnetur, cujus conditor Deus est, et in qua plurimi placuerunt Deo, regnantque cum Christo: sed quo opera carnis repudientur, de quibus idem Apostolus loquitur: Ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato (Rom. VII, 14). Denique ad hujuscemodi homines dicit: Ubi autem zelus et aemulatio in vobis est, nonne carnales estis, et secundum hominem ambulatis (I Cor. III, 3)? Et econtrario ad sanctos: Vos autem non estis in carne: siquidem Spiritus Dei habitat in vobis. Excutitur ergo pulvis, de quo scriptum est: Numquid confitebitur tibi pulvis, aut annuntiabit veritatem tuam (Ps. XXIX, 10), ut solvantur vincula colli nostri; et nequaquam audiamus: nervus ferreus collum tuum; sed cum sponsa mereamur audire: Quam pulchrae sunt genae tuae, sicut turturis: collum tuum sicut monilia (Cant. I, 9). Et iterum: Circumdedi armillas manibus tuis, et monile collo tuo; ut gravi onere liberati, et recipientes ornamenta pristina, captivi esse cessemus: redempti ab eo, qui venit praedicare captivis remissionem. Et de quo scriptum est (Supr. XLV, 13): Hic aedificabit civitatem meam, et captivitatem populi mei reducet, non cum pretio neque cum muneribus. Cui sensui et Petrus Apostolus congruit: Scientes quoniam non corruptibilibus argento et auro redempti estis de vana vestra conversatione, patribus tradita, sed sanguine agni immaculati (I Petr. I, 18).

## (Vers. 4 seqq.)

Quia haec dicit Dominus Deus: In Aegyptum descendit populus meus in principio, ut colonus esset ibi: et Assur absque ulla causa calumniatus est eum. Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus? Quoniam ablatus est populus meus gratis: dominatores ejus inique agunt, dicit Dominus, et jugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter quod sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum.

LXX: Quia sic dicit Dominus: In Aegyptum descendit populus meus, prius ut peregrinaretur ibi: et in Assyrios violenter abducti sunt; et nunc quid erit hic, dicit Dominus? Quia ablatus est populus meus, gratis admiramini, et ululate. Haec dicit Dominus: Propter vos semper nomen meum blasphematur in gentibus. Propterea sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui loquebar, adsum. Arguit populum Judaeorum, et ventura praedicit. Quod qui voluntate sua in Jacob descendit ad Aegyptios, et tempore necessitatis ac famis peregrinatus est in terra Gessen (Gen. XLVII): postea ab Assyriis, quos in nullo laeserat, calumniam sustinuerit; et in Babylonem captivitate translatus sit (IV Reg. XVII, 25). Unde infert: Et nunc quid mihi est hic, dicit Dominus? Et est sensus: nihil habeo reliqui propter quod in hac regione permaneam, de qua populus meus ablatus est gratis, et venditus peccatis suis, et quasi oryx rete comprehensus, vel viribus Romanorum, vel diaboli laqueis, quibus vinctus hucusque retinetur. Ut autem ista paterentur, dominatores eorum ac magistri inique egerunt; qui juxta Symmachum et Theodotionem, ululabunt; juxta Aquilam, flebunt, cum tormentis traditi fuerint. Ipsi enim sunt qui adversum Salvatorem populum concitarunt, ut consona voce clamarent: Crucifige, crucifige talem (Joan. XIX, 15). De quibus et ante jam dixerat: Ipse Dominus veniet cum senioribus populi et cum principibus ejus. Vos autem quare succendistis vineam meam et rapina pauperis in domibus vestris (Is. III, 14)? Quamobrem juxta Septuaginta loquitur ad eos: Propter

vos semper nomen meum blasphematur in gentibus. Et sciendum quod, in gentibus, non habeatur in Hebraeo, sed absolute, nomen meum jugiter blasphematur, ut subaudiatur, in synagogis vestris: qui diebus ac noctibus blasphemant Salvatorem, et sub nomine, ut saepe dixi, Nazarenorum, ter in die in Christianos congerunt maledicta. Illis itaque blasphemantibus et maledicentibus Domino, populus ejus de quo crebro jam dictum est, id est, populus Christianus, sciet nomen illius qui venturus est in nomine Patris. Et propterea sciet, quia ipse qui prius locutus est per Prophetas, praesens erudiet populos. Juxta Septuaginta loquitur ad Israel Deus, quod in Aegyptum voluntate descenderit. Dicente in Deuteronomio Moyse: In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Aegyptum (Deut. X, 22): et ab Assyriis captivi violenter abducti sunt. Unde dicitur ad eos: Et nunc quid estis hic? quid facitis in terra Judaea, qui post necem Prophetarum, in Dei Filium misistis manus? Aut certe ad Angelicas potestates, et praesides Templi Angelos loquitur Deus: Quid hic facitis, cur non relinquitis populum blasphemantem? quod et Josephus refert (Lib. VI Antiq. Judaic. c. 12): apertis repente januis Templi, et sponte reseratis, quas multi homines claudere vix poterant, vocem de adytis Templi exisse dicentium: Transeamus ex his sedibus. In quo consideranda sermonum proprietas, quod non dixerint, recedamus, sed transeamus ad populum gentium. Unde et velum Templi a summo usque deorsum scissum est in duas partes, ut omnes Judaeorum caeremoniae panderentur, et eo tempore impleretur, quod in hoc eodem Propheta dicitur: Ex Sion egredietur lex, et verbum Domini de Jerusalem. Et judicabit inter multas gentes usque in longinquum (Isai. II, 3, 4). In omnem enim terram exivit sonus eorum, et in terminos orbis verba eorum (Ps. XVIII). Et in omni loco Deo offertur incensum, et hostia munda (Mich. III), quando propheticus sermo completus est: Recordabuntur et redibunt ad Dominum omnes fines terrae: et adorabunt in conspectu ejus omnes familiae gentium; quoniam Domini

regnum est, et ipse dominabitur gentium (Ps. XXI, 28 seqq.). Unde dicitur ad principes Judaeorum: Admiramini, et ululate, quoniam vos causa estis ruinae populi. Porro juxta anagogen hoc possumus dicere, quod descendat in Aegyptum hujus saeculi populus Dei propria voluntate, quando amator magis voluptatum quam Dei est, et non audit illud propheticum: Vae qui descendunt in Aegyptum ad auxilium (Isai. XXXI, 1). Qui cum vitiis fuerit delinitus, et habitaverit in loco aquarum et fluminum, qui castitatis non habet siccitatem: tunc violenter tradetur Assyriis, ut dominentur ei, qui eum postea in peccato arguant atque convincant. Ipsi sunt enim et inimici et vindices, de quibus loquitur ad Israel: Et nunc quid tibi est et viae Aegypti, ut bibas aquam Geon: et quid tibi est et viae Assyriorum, ut bibas aquam fluminum (Jer. II, 18). Qui igitur descendit in Aegyptum, et de excelso Jerusalem ad humiliora delapsus est: vadensque Jericho, alteram Aegyptum, a latronibus vulnera plura suscepit, dicitur ad eum: Et nunc quid vobis est hic? quid in terra et in Ecclesia Dei vos esse simulatis, qui studio atque omni desiderio descendistis in Aegyptum, et ab Assyriis possidemini, captique estis: et ululare magis ac lugere debetis; quia propter vitia vestra atque peccata, nomen Dei blasphematur in gentibus? quibus in Ezechiele dicitur: Contaminastis nomen meum in gentibus (Ezech. XXXVI, 20). Et quomodo in Evangelio discipulis loquitur Dominus: Luceat lumen vestrum coram hominibus, ut videant bona opera vestra, et glorificent Patrem vestrum qui est in coelis (Matth. V, 16): sic econtrario, cum mala opera fecerimus, nomen Dei propter nos blasphematur in gentibus. Idcirco qui habet scientiam nominis Dei, et quod ad imaginem et similitudinem illius sit conditus, non ignorat, in luce versabitur. Et erit in die, de qua exultavit Abraham quod vidisset eam (Joan. VIII); de qua et sanctus loquitur David: Haec est dies quam fecit Dominus, exultemus et laetemur in ea (Ps. CXVII, 24). Qui enim illuminaverunt sibi lucem scientiae, et habent lumen sempiternum, quod credentibus repromissum est: Erit tibi Dominus lux aeterna (Isai. LX, 20), in die honeste

ambulant, et sunt filii lucis et diei; et cognoscunt eum qui dicit ad Moysen: Vade, dic filiis Israel, qui est misit me (Exod. III, 14): et quem in sanctis ante cognoverant, etiam sibi adesse cognoscent.

## (Vers. 7, 8.)

Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem, et annuntiantis bonum: praedicantis salutem, et dicentis Sion: Regnabit Deus tuus. Vox speculatorum tuorum: levaverunt vocem: simul laudabunt, quia oculo ad oculum videbunt, cum converterit Dominus Sion.

LXX: Sicut hora super montes: sic pedes evangelizantis auditum pacis, evangelizantis bona: quia auditam faciam salutem meam, dicens: Sion regnabit Deus tuus. Vox custodientium te exaltata est, et voce simul laetabuntur, quia oculi ad oculos videbunt, quando misertus fuerit Dominus Sion. Consequenter de eo qui supra dixerat: Ego ipse qui loquebar, ecce adsum, nunc Propheta testatur quod ipse super montes Evangelium praedicarit, id est, super Apostolos, de quibus scriptum est: Appropinquate montibus aeternis (Mich. II, 9, sec. LXX); et quorum doctrina illuminatio Dei est. Unde ad eum in Psalmis dicitur: Illuminans tu mirabiliter a montibus aeternis (Ps. LXXV, 5). Hic annuntiavit et praedicavit pacem his qui erant longe, id est, gentibus; et prope, hoc est, Judaeis: mundum reconcilians Deo, de quo sub nomine Salomonis in psalmo canitur: Orietur in diebus ejus justitia, et multitudo pacis, donec auferatur luna (Ps. LXXI, 7). Et in hoc eodem Propheta de puero qui natus est, et de filio qui datus est nobis, cujus principatus in humero ejus, et vocabitur magni consilii Angelus, post reliqua dicitur (Supra, IX, 7): Et pacis ejus non erit terminus. Ipse est enim pax nostra, qui pacificavit omnia per sanguinem crucis suae in coelo et in terra. Qui locutus est Apostolis: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis

(Joan. XIV, 27). Et annuntiavit nobis bona, non quae a Philosophis appellantur indifferentia; sed quae vere bona sunt, quae dat Pater petentibus se, id est, omnes gratias Spiritus sancti. Denique alter Evangelista in eodem loco scribit: Quanto magis Pater vester qui est in coelis, dabit Spiritum sanctum petentibus se (Luc. XI, 13)? Haec bona quae credentibus Dominus pollicetur: Audite me et comedetis bona; et delectabitur in bonis anima vestra; et non solum bona, sed salutem omnibus nuntiavit, quam ipse praebuit qui dicit Sion, id est, Ecclesiae: Regnabit Deus tuus. Unde et Apostolus loquitur ad Sanctos: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis desideriis ejus (Rom. VI, 12). Et de peccatoribus scribens: Mors, inquit, regnavit ab Adam usque ad Moysen (Rom. V, 14). Quodque sequitur: Vox speculatorum tuorum, sive custodum tuorum, Apostolos significat, de quibus et in alio loco (Infra, LXII, 6) ad Ecclesiam loquitur Deus: Super muros tuos constitui custodes, qui numquam tacebunt, recordantes Domini, qui exaltabunt vocem de sublimibus disserentes. Unde dicitur ad eos (Supra, XL, 9): Super montem excelsum ascende qui evangelizas Sion. Exalta in fortitudine vocem tuam qui evangelizas Jerusalem. Isti pari Deum voce laudabunt, et oculis videbunt ad oculos. Quod aliis verbis Apostolus dicit: Facie ad faciem (I Cor. XIII); quando Sanctus canit: Oculi mei semper ad Dominum (Ps. XXIV, 15). Et: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in coelo (Ps. XX, 1). Et Dominus respondebit ei: Oculi enim Domini super justos, et aures illius in precem eorum (Ps. XXXIII, 16). Hoc quod Septuaginta transtulerunt, sicut ὥρ , id est, hora super montes: sic pedes evangelizantis auditum pacis, et reliqua, Paulus sequens sensum Hebraicae Veritatis, ponit in Epistola ad Romanos: Quam speciosi pedes evangelizantium bona, evangelizantium pacem (Rom. X, 15): Apostolos intelligi volens, quorum Dominus lavit pedes (Joan. XIII), ut mundi et pulchri essent ad praedicandum, et in toto orbe discurrerent, brevique doctrina Christi implerent mundum. Ὥρ autem, id est, hora, juxta Septuaginta, et

ambiguitatem sermonis Graeci, aut tempus significat, aut pulchritudinem. Si tempus, illi aptabitur: Tempore opportuno audivi te, et in die salutis adjutor tui fui (Isai. XLIX, 8). Unde infert Apostolus: Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis (II Cor. VI, 2). Opportuno enim tempore pro cunctis sanguinem fudit: quando omnes declinaverunt, simul inutiles facti erant. Non erat qui faceret bonum, non erat usque ad unum (Ps. XIII): ut pro omnibus gustaret mortem, quia omnes peccaverant, et indigebant gloria Dei (Rom. III). Si autem pulchritudinem ad illud referamus, quod in psalmo dicitur: Speciosus forma prae filiis hominum (Ps. XLIV, 3); (quid enim pulchrius quam ut forma servi fieret forma Dei, et sederet et regnaret cum Christo in coelestibus?) potest ὤρ secundum Graecae linguae latitudinem cura dici, et sollicitudo, juxta illud quod Sanctus ait: Multiplicabis me in anima mea, in virtute tua (Ps. CXXXVII, 4). Pro mulplicabis me, in Graeco dicitur --- quod est, multa cura et sollicitudine me dignum habebis. Et alibi: Secundum altitudinem tuam --- filios hominum (Ps. XI, 9): quod aliis verbis Graece dicitur ---. Sed haec superflua sunt; et speciosi magis pedes Christi vel Apostolorum accipiendi, quod, praeter Septuaginta, omnes similiter transtulerunt, Paulo eorum interpretationem probante.

## (Vers. 9, 10.)

Gaudete et laudate simul, deserta Jerusalem, quia consolatus est Dominus populum suum: redemit Jerusalem. Paravit Dominus brachium sanctum suum in oculis omnium gentium: et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri.

LXX: Erumpant laetitiam simul deserta Jerusalem, quia misertus est Dominus ejus, et eruit Jerusalem. Revelabit Dominus brachium sanctum suum in conspectu cunctarum gentium. Et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri. Ducto in captivitatem populo

Judaeorum, et urbe succensa, aut rarus erat in Jerusalem, aut nullus habitator. Postquam autem qui prius loquebatur in Prophetis, et erat in principio apud Deum, Deus Verbum habitavit in nobis, et caro factus est, instaurata sunt deserta Jerusalem; et venit ille de quo scriptum est: Hic aedificabit civitatem meam, et captivitatem populi mei reducet: ut nequaquam plangatur ab Jeremia: Quomodo sedet sola civitas quae erat plena populis: facta est quasi vidua quae erat multiplicata in gentibus (Thren. I, 1); sed audiat David canentem, In convertendo Dominus captivitatem Sion, facti sumus tamquam consolati (Ps. CXXV, 1, 4). Et post paululum: Facti sumus laetantes. Et ut sciamus nequaquam haec dici de populo Judaeorum, sed de omnibus qui per apostolos in Dominum credituri sunt, ponit et dicit: qui consolatus est eam, sive misertus est ejus, et qui eruit vel redemit eam, ipse paravit sive revelavit brachium sanctum suum, in conspectu omnium gentium: et videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri. Ex quo perspicuum est, exstructa per Apostolos spirituali Jerusalem, id est, Ecclesia, quae a Judaeis fuerat derelicta, revelari brachium Domini cunctis gentibus, et videre salutare ejus omnes fines terrae. Quod dupliciter intelligitur. Aut enim revelat Pater brachium suum cunctis gentibus, aut filius revelat fortitudinem suam. De quo scriptum est: Virtus enim ab eo egrediebatur et sanabat omnes (Luc. VI, 19). Et iterum: Sensi virtutem exisse de me quae sanavit haemorrhousam (Marc. V, 30). Quod autem Filius Dei, Patris dextera appelletur et brachium, multa sunt testimonia, e quibus pauca dicemus: Salvabit sibi dextera ejus, et brachium sanctum illius (Ps. XCVII, 2). Et alibi: In brachio meo gentes sperabunt (Isai. LI, 5). De quo Jacob dicit: Hic erit exspectatio gentium (Genes. XLIX, 10). Et octogesimus octavus psalmus: Tuum brachium cum potentia. Hoc brachio eduxit Dominus populum Israel de terra Aegypti. De quo ad Apostolorum principem loquebatur: Beatus es, Simon Barjona, quia caro et sanguis non revelaverunt tibi, sed Pater meus qui est in

coelis (Mat. XVI, 17). Et Apostolus Paulus de se (Galat. I, 15): Quando, inquit, placuit Deo, qui separavit me de utero matris meae, ut revelaret Filium suum in me. Quod autem cunctis gentibus omnes terrae terminos copulavit, qui visuri sunt salutare Dei, illud ostendit quod et in alio loco dicitur: Convertimini ad me ab extremis terrae, et salvi eritis (Isai. XLV, 22); et per Jeremiam: Ad te gentes venient ab extremis terrae (Jer. XVI, 19); et iterum: Recordabuntur et convertentur ad Dominum omnes familiae gentium; quia Domini est regnum, et ipse dominabitur gentium (Ps. XXI, 28 et seqq.); ut non solum varietas gentium singularum, sed et omnes mundi cardines credituri praenuntientur in Christo. Juxta id quod ipse loquitur: Cum autem praedicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, tunc erit finis (Matth. XXIV, 14). Alii summitates et extrema terrae, eos intelligi volunt, qui non in media terra, sed in extremis ejus instar rotarum finibus consistentes, humilia deserunt et ad excelsa festinant.

## (Vers. 11-13.)

Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere: exite de medio ejus, mundamini qui fertis vasa Domini. Quoniam non in tumultu exibitis: nec in fuga properabitis. Praecedet enim vos Dominus, et congregabit vos Deus Israel.

LXX: Recedite, recedite, egredimini inde, et immundum nolite tangere: exite de medio ejus: separamini qui portatis vasa Domini, quia non cum tumultu exibitis, neque cum fuga ibitis: sed praecedet vos Dominus, et qui congregat vos Deus Israel. Et hoc Judaei sic disserere conantur: Exite de Babylone, et idola eorum derelinquite. Exite de medio illius, et vasa quae Nabuchodonosor, capta Jerusalem, tulerat (IV Reg. XV), Cyro laxante captivos sub Zorobabel et Esdra (Esdr. I), referte in templum; nec sicut prius de Aegypto cum

tumultu et timore fugistis, ita egredimini de Babylone; sed cum pace et voluntate regis Persarum atque Medorum, in quo Domini voluntas apparuit, qui protexit et congregavit vos. Alii quae de Babylone diximus, de Romano regno interpretantur, quod in adventu Christi qui eos liberaturus sit, haec omnia compleantur. Nos autem audientes supra: Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem. Et: Revelabit Dominus brachium suum in conspectu omnium gentium: Et, videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri, nequaquam hoc de Judaeis, sed de Apostolorum omniumque Sanctorum intelligimus choro. Quibus praecipitur, ut recedant de Jerusalem, et in toto mundo Evangelium praedicent, dicente Domino Salvatore: Ite et docete omnes gentes, baptizantes eas in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti (Matth. XXVIII, 19): ut nequaquam cum Judaeis blasphemantibus maneant, in quorum necem Romanus paretur exercitus; sed pollutos derelinquant: et separentur ab eis atque mundentur, qui portant vasa Domini. Templum enim sunt Spiritus sancti (I Cor. III), et magnae domus vasa aurea et argentea. Qualis fuit Apostolus Paulus, qui vas electionis dicitur (Act. IX), praeparaverat enim se in vas pretiosum et aptum in ministerium Dei. Vel certe hoc dicendum, quod vasa Domini, armatura Dei sit spiritualis. De qua et Paulus Apostolus loquebatur: Induite vos armatura Dei (Ephes. VI, 11), et per singula enumerat: loricam justitiae, et clypeum fidei, et galeam salutis, et gladium spiritus, qui interpretatur verbum Dei. Ad haec addit, cingulum veritatis, et calceatos pedes in praeparatione Evangelii pacis. Et in alio loco: Deponentes ergo opera tenebrarum, induamur arma lucis (Rom. XIII, 13). Sequitur: Non in tumultu exibitis, nec in fuga properabitis. Neque enim ut victi de Jerusalem, sed ut victores recesserunt: ut qui quotidie praedicantes in Templo Evangelium Dei, multa millia Judaeorum Christi fidei subjecerant, etiam mundum illius Evangelio subjugarent. Praevium enim habebant Dominum, qui congregaret eos, Deum Israel, hoc est, de

orbe terrarum unum gregem faceret, ut impleretur illud quod Dominus in Evangelio in Patrem loquitur (Joann. XVII, 21): Da, ut sicut ego et tu unum sumus: sic et isti in nobis unum sint: ut eodem sensu et eadem sententia, repugnantia inter se vitia atque contraria deserentes, unam apprehenderent solamque virtutem. Neque enim vitia et perturbationes invicem se sequuntur: quod de virtutibus dicitur, in quibus nec --- sunt, nec --- id est, nec plus nec minus, sed omnia temperata. Porro in vitiis universa contraria sunt, ut pavor audaciae, impietati superstitio, luxuria parcitati.

Ecce intelliget servus meus, exaltabitur, et elevabitur et sublimis erit valde. Sicut obstupuerunt super te multi: sic inglorius erit inter viros aspectus ejus, et forma illius inter filios hominum. Iste asperget gentes multas: super ipsum continebunt reges os suum: quia quibus non est narratum de eo, viderunt; et qui non audierant, contemplati sunt.

LXX: Ecce intelliget puer meus, et exaltabitur, et gloriabitur valde. Sicut stupebunt super te multi: sic in gloria erit ab hominibus species tua, et gloria tua a filiis hominum: sic mirabuntur gentes multae super eo, et continebunt reges os suum, quia quibus non est annuntiatum de eo, videbunt, et qui non audierunt, intelligent. Ne ulla legentibus ambiguitas relinquatur, quis sit ille qui dixerit: Ego qui loquebar, ecce adsum; et quod sit brachium sanctum Domini, quod cunctis gentibus revelatum est, Deus omnipotens Pater perspicue docet: Ecce intelliget servus meus sive puer meus, de cujus differentia supra diximus. Intelliget autem, non ut verbum Dei, atque sapientia; sed ut servus et puer. Qui cum in forma Dei esset, formam servi dignatus est accipere: factus obediens Patri usque ad mortem, et mortem crucis (Philipp. II). Quamobrem exaltavit eum, et donavit illi nomen super omne nomen. Qui loquitur in psalmo: Benedicam Dominum, qui tribuit mihi intellectum (Ps. XV,

7); et de quo David canit: Qui fecit coelos in intellectu (Ps. CXXXV, 5). Ipse est enim sapientia atque intelligentia, qui proficiebat quasi puer aetate atque sapientia: de quo loquitur et Petrus: Deus patrum nostrorum glorificavit Filium suum Jesum, quem vos quidem tradidistis, et negastis ante faciem Pilati volentis eum dimittere. Vos autem sanctum et justum negastis (Act. III, 13, 14), de quo et supra scriptum ostendimus: Ego testis, dicit Dominus, et puer quem elegi: super ipsum stupebunt plurimi (Isai. XLIII, 10), cum illius signa perspexerint. Et hinc erit majus miraculum, quod inglorius erit inter homines aspectus ejus: non quo formae significet foeditatem, sed quo in humilitate venerit et paupertate. Qui cum dives esset, pro nobis pauper factus est; et credentibus dixit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde (Matth. XI, 29): de quo et Clemens vir apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam, scribit ad Corinthios: Sceptrum Dei Dominus Jesus Christus, non venit in jactantia superbiae, cum possit omnia, sed in humilitate. Intantum ut verberatus a ministro sacerdotis, responderit: si male locutus sum, argue de peccato; sin autem bene, quid me caedis (Joan. XVIII)? habens duodecim Angelorum millia, quae illius nutibus obedirent. Iste asperget gentes multas, mundans eas sanguine suo et in baptismate Dei consecrans servituti. Super ipsum continebunt reges os suum, et principes saeculi, quorum omnis sapientia crucis praedicatione subversa est: et qui non habuerant Legem et Prophetas, et quibus de eo non fuerat nuntiatum, ipsi videbunt et intelligent. De quibus loquitur et Salvator: Beati qui non viderunt et crediderunt (Joan. XX, 29). In quorum comparatione, Judaeorum duritia reprehenditur, qui videntes et audientes, Isaiae in se vaticinium compleverunt, dicentis: Auditu audietis, et non intelligetis: et videntes aspicietis, et non videbitis. Incrassatum est enim cor populi hujus, et auribus graviter audierunt (Isa. VI, 9, 10).

## (Cap. LIII.---Vers. 1 seq.)

Quis credidit auditui nostro? et brachium Domini cui revelatum est? Et ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti: non est species ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspectus: et desideravimus eum. Despectum et novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus, et despectus: unde nec reputavimus eum. Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit: et nos putavimus eum quasi leprosum, et percussum a Deo, et humiliatum.

LXX: Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? Annuntiavimus quasi parvulum in conspectu ejus: sicut radix in terra sitienti. Non est species ei neque gloria, et vidimus eum, et non habebat speciem neque decorem: sed species ejus inhonorata, et deficiens prae filiis hominum. Homo in plaga, et sciens ferre infirmitatem, quia aversa est facies ejus, despecta et non reputata. Iste peccata nostra portat, et pro nobis dolet, et nos reputavimus cum esse in dolore, et in plaga et in afflictione. Post verba Patris, quibus filium suum mundo nuntiaverat esse venturum; et ante scandalum crucis, de quo dicturus erat: Inglorius erit aspectus ejus, et forma ejus prae filiis hominum, gloriam praemiserat resurrectionis: Exaltabitur et elevabitur, et sublimis erit valde: ut humilitate crucis resurrectionis gloriam praeveniret, respondit Prophetarum chorus se implesse officium, et quantum in se fuit, brachium illius atque virtutem omnibus nuntiasse. In eo autem quod dicit: Quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? raritatem credentium significat ex Judaeis. Quodque sequitur: Ascendet sicut virgultum coram eo; pro quo LXX transtulerunt, Annuntiavimus sicut parvulum coram eo: pro virgulto, Symmachus, ramum interpretatus est, ut assumptum ostenderet hominem qui processit de utero virginali. De quo infert: Sicut radix de terra sitienti. Pro sitienti, Aquila interpretatus est, invia, ut virginitatis privilegium demonstraret, quod absque ullo

humano semine de terra prius invia sit creatus. Iste est de quo et supra legimus: Exiet virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet (Isai. XI, 1); ut nativitatem ejus et ascensum significet in mundo. Sin autem non habebat speciem neque gloriam; sed forma ipsius erat ignobilis et deficiens prae filiis hominum, sive ut habetur in Hebraeo, despectus et novissimus virorum, quomodo in Psalmis dicitur: Accingere gladio tuo super femur tuum, potentissime, pulchritudine et decore tuo (Ps. XLIV, 4)? Quod facile solvitur. Despectus erat et ignobilis quando pendebat in cruce, et factus pro nobis maledictum, peccata nostra portabat. Et loquebatur Patri: Deus Deus meus, quare me dereliquisti (Matth. XXVII, 46)? Inclytus autem erat, et decorus aspectu, quando ad passionem ejus terra contremuit, saxa dirupta sunt, et fugiente sole, aeternam noctem elementa timuerunt. De quo et sponsa in Cantico Canticorum: Fratruelis meus candidus, et rubicundus, electus de millibus (Cant. V, 10). Candidus plenitudine ac puritate virtutum, rubicundus in passione, de qua postea lecturi sumus: Quis est iste qui ascendit de Edom, fulva vestimenta ejus ex Bosor; electus de millibus in resurrectionem; ut qui erat primogenitus omnis creaturae, primogenitus fieret ex mortuis. Quod autem infert: Homo in dolore et sciens ferre infirmitatem, sive virum dolorum, et scientem infirmitatem, verum corpus hominis, et veram demonstrat animam, qui sciens ferre infirmitates, omnes eas divinitate superavit. Et absconditus vultus illius atque despectus, ut humano corpore divina potentia celaretur. De quo supra dictum est: Tu es Deus absconditus, et nesciebamus. Qui vere languores nostros et peccata portavit, et pro nobis dolet, non putative, id est, --- ut vetus et nova haeresis suspicantur; sed vere crucifixus est. Vere doluit, dicens in Evangelio: Tristis est anima mea usque ad mortem (Matth. XXVI, 38). Et: Nunc anima mea turbata est (Joan. XII, 27). Et nos putavimus eum esse immundum, sive in dolore, ut Septuaginta transtulerunt, pro quo Aquila et Symmachus posuerunt leprosum, Theodotio, flagellatum. Quod aliis

verbis Hebraico idiomate lepra intelligitur, juxta illud quod in psalmo scriptum est: Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo (Ps. XC, 10). Et est sensus: Putavimus eum pro peccatis suis a Deo esse percussum, qui humiliatus est propter nos, et cum latronibus crucifixus. Pro eo quod Symmachus transtulit --- hoc est, in lepra; Aquila posuit --- id est, leprosum: quod multi non intelligentes, putant relictum, et alii legunt --- id est, sedentem. In principio capituli, in quo juxta Septuaginta dicitur: Domine, quis credidit auditui nostro: et brachium Domini cui revelatum est (Rom. X), quo testimonio et apostolus Paulus utitur ad Romanos, edisserens illud super Domini passione: Dominus, in Hebraico non habetur, sed pro intelligentia personae, ad quam dicitur, additum est.

## (Vers. 5-7.)

Ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit: et Dominus posuit in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum.

LXX: Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, et infirmatus est propter iniquitates nostras. Disciplina pacis nostrae super eum: livore ejus sanati sumus. Omnes quasi oves erravimus, homo in via sua erravit. Et Dominus tradidit eum propter iniquitates nostras, et ipse propter afflictionem non aperuit os suum. Nos, inquit, putavimus eum virum dolorum: sive juxta Septuaginta, esse in dolore, et percussum a Deo, et propria sustinere peccata. Ille autem vulneratus est propter iniquitates nostras, dicens in psalmo: Foderunt manus meas et pedes (Ps. XXI, 18), ut suo vulnere vulnera nostra curaret, et attritus est, sive infirmatus propter

scelera nostra, ut factus pro nobis maledictum, nos liberaret de maledicto. Maledictus enim omnis homo qui pendet in ligno (Deut. XXI, Galat. III). Unde disciplina pacis nostrae super eum est. Quod enim nos pro nostris debebamus sceleribus sustinere, ille pro nobis passus est, pacificans per sanguinem crucis suae, sive quae in terra, sive quae in coelis sunt. Ipse est enim pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae, solvens inimicitiam in carne sua, et livore ejus sanati sumus (Ephes. II). Ex quo perspicuum est, sicut corpus flagellatum atque laceratum signa injuriae in vibicibus ac livore portabat: ita et animam vere doluisse pro nobis, ne ex parte veritas, et ex parte mendacium credatur in Christo (Rom. III). Omnes, inquit, quasi oves erravimus, et indiguimus misericordia Dei, dicentes in psalmo: Erravi sicut ovis perdita (Ps. CXVIII, 176); quae in Evangelii parabola boni Pastoris atque solliciti humeris reportata est (Matth. XVIII). Qui sint autem istae oves, sequens versus ostendit. Homo in via sua erravit; sive unusquisque in via sua declinavit, ut proprium sequeretur errorem, et rectam viam deserens, de Crucifixo diversa sentiret. Dominus autem posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, sive tradidit eum pro peccatis nostris; ut quod propter imbecillitatem virium ferre non poteramus, pro nobis ille portaret, qui oblatus est, quia ipse voluit. Non enim necessitate crucem, sed voluntate sustinuit, dicens in Evangelio: Calicem quem mihi dedit Pater, non bibam illum (Joan. XVIII, 11)? Et ad Petrum qui scandalizabatur a crucis nomine, quia non noverat mysterium, et humano pavore trepidabat: Vade retro me, Satana, scandalum es mihi, quia non sapis ea quae Dei sunt, sed quae hominum (Matth. XVI, 23). Alioquin si non propria voluntate esset oblatus, qui indicare et praedicere poterat proditorem, et Apostolis loquebatur: Omnes vos in hac nocte in me scandalum sustinebitis, poterat eos qui ad se missi fuerant declinare, quibus occurrit intrepidus, et ultro se obtulit dicens: Quem quaeritis (Joan. XVIII, 4, 6)? Qui statim ceciderunt retrorsum; vocem enim praesentis Dei

ferre non poterant. Pulchreque addidit: Et non aperuit os suum. Qui dicenti Pilato: Mihi non loqueris? noluit respondere. Sive juxta Septuaginta: Afflictus non aperuit os. Aut juxta Symmachum et Theodotionem, audiens non aperuit os suum.

## (Vers. 7 seqq.)

Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia et de judicio sublatus est. Generationem ejus quis enarrabit? quia abscissus est de terra viventium: propter scelus populi mei percussit eos. Et dabit impios pro sepultura, et divitem pro morte sua: eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus. Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate.

LXX: Sicut ovis ad victimam ductus est, et sicut agnus coram tondente mutus, sic non aperuit os suum. In humilitate judicium ejus sublatum est. Generationem illius quis enarrabit, quia tollitur de terra vita ejus? Ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem; et dabo pessimos pro sepultura ejus, et divites pro morte illius. Quia iniquitatem non fecit, neque dolum in ore suo: et Dominus vult mundare eum a plaga. Hoc testimonium, cum in Actibus Apostolorum reginae Candacis Eunuchus rheda veheretur (Act. VIII et seqq.), et legens non intelligeret, interpretante Philippo super passione et nomine Salvatoris, intellexit, et statim baptizatus, in agni sanguine quem legebat, vir meruit appellari, et Apostolus genti Aethiopum missus est. Qui igitur oblatus est Pilato, quia ipse voluit; et non respondit, ut patibulum pro nobis damnatus ascenderet, ipse sicut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente obmutuit. Etenim pascha nostrum immolatus est Christus (I Cor. V), quem Joannes Baptista monstrabat, dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi (Joan. I, 29). Qui et in Apocalypsi Joannis Evangelistae, agnus

occisus saepe memoratur (Apocal. V). Qui de seipso loquitur in Jeremia (Jerem. XI). Ego autem sicut agnus innocens, et ductus ad victimam, nesciebam. Cum enim nesciret peccatum, pro nobis peccatum factus est (II Cor. V). Et sicut agnus cum ducitur ad victimam, non repugnat: sic ille passus est voluntate, ut destrueret eum qui mortis habebat imperium (Hebr. II), humilians se usque ad mortem, et mortem crucis (Philipp. II). Hic agnus est, in cujus typo immolabatur agnus, cujus cruor linitus in postibus exterminatorem fugabat Aegypti (Exod. XXII); qui non solum sanguine suo nos redemit, sed et lanis operuit, ut algentes infidelitate, sua veste calefaceret, et audiremus Apostolum nobis loquentem: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis (Galat. III, 27). Et in alio loco: Induimini Christo Jesu (Rom. XIII, 14). Quodque sequitur: De angustia et de judicio sublatus est; sive ut LXX transtulerunt, in humilitate judicium ejus ablatum est, illud significat, quod de tribulatione atque judicio ad Patrem victor ascenderit; sive quod judex omnium, judicii non repererit veritatem; sed absque ulla culpa, seditione Judaeorum et Pilati voce damnatus sit. Unde admiratur Propheta, quod omnium Deus se tradiderit passioni. De quo Paulus loquitur: Si enim credidissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent (I Cor. II, 8). Sequitur: Generationem ejus quis enarrabit? Quod dupliciter intelligitur: aut enim de divinitate ejus accipiendum est, quod impossibile sit divinae nativitatis nosse mysteria; de qua ipse loquitur in Proverbiis: Ante omnes colles generavit me (Prov. VIII, 25); juxta illud quod alibi legimus: Quis cognovit sensum Domini: aut quis consiliarius ejus fuit (Rom. XI, 34)? id est, nullus; aut de partu Virginis, quod difficulter possit exponi. Denique cum Mariae diceretur ab Angelo: Concipies et paries filium, illa respondit: Unde mihi hoc, quia virum non cognovi? Cui rursum Angelus: Spiritus, inquit, sanctus veniet super te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi (Luc. I, 31, 34, 35), ut vel ab Angelo, vel ab Evangelista tantum nativitatis hujus sacramenta dicantur. Cujus narrator rarissimus est,

secundum illud: Quis sapiens, et intelliget haec: intelligens, et cognoscet ea (Osee XIV, 10)? Sin autem prudens lector tacita cogitatione responderit: Et quomodo scriptum est: Nemo novit Filium nisi Pater: et nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare? Et qui novit Patrem et Filium, utique et generationis potest enarrare mysterium. Audiat aliud esse nosse, aliud eloqui, quia frequenter quae mente concipimus, sermone explicare non possumus. Ergo et mysterium divinae nativitatis in corpore, possunt sancti, fide magis nosse quam dicere. Alioquin et Apostolus raptus in tertium coelum et in paradisum, audivit verba quae nequaquam valet humana lingua proferre (II Cor. XII). Sed et Spiritus interpellat pro nobis gemitibus ineffabilibus. Istius igitur, cujus generationem aut nullus, aut rarus enarrare potest, sublata est vita de terra; ut nequaquam in terra, sed in coelo viveret. Sive abscissus est de terra viventium, ut impleretur de eo quod scriptum est in Apocalypsi Joannis: Ego sum primus et novissimus: qui vivebam, et sum mortuus: et ecce vivo in aeternum (Apoc. XVII, 18); ut post vitam quam vixit in terra mortuus terrae, coelis viveret in aeternum. Quodque jungitur, Propter scelus populi mei percussit eos; sive, juxta LXX, ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem, duplicem sensum habet. Aut enim persecutores et sceleratos populi sui, sua morte percussit: aut propter magnitudinem peccatorum populi, quem semper peculiarem habuit, ductus ad mortem est, ut illos ad vitam sua morte revocaret. Ipse dedit impios, pro sepultura sua; et divitem, pro morte sua. Sive pessimos, pro sepultura ejus; et divites, pro morte ejus: utrumque populum significans, ut in malis et pessimis, qui ante Dei notitiam non habebant (Rom. IX), ostendatur gentium multitudo: in divitibus, quorum erat Testamentum et Legislatio et Prophetae, Judaicus populus demonstretur. Ergo idcirco passus est Dominus et sepultus, ut ex utroque populo sibi Ecclesiam congregaret. Sive hoc dicendum, quod Scribas et Pharisaeos, ac Sadducaeos, sacerdotes et pontifices, qui in populo ante regnabant, et nimiis

opibus affluebant, post Domini passionem Romanis tradiderit Deus, et aeternae subjecerit servituti. Iste pro cujus sepultura et morte, impii divitesque sunt traditi, iniquitatem non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus. Quod de nullo penitus hominum intelligi potest, ut nec opere, nec sermone peccaverit, dicente Scriptura: Nemo mundus a sordibus, nec si unius quidem diei fuerit vita ejus. Et, omnes sicut oves erravimus, unusquisque in via sua declinavit (Job. XXV): nisi de illo, qui peccata nostra portavit, et pro nobis dolet, et vulneratus est pro iniquitatibus nostris, et afflictus est propter scelera nostra, cujus livore sanati sumus. Super quo et princeps Apostolorum Petrus hoc testimonium edisserens, ait: In hoc enim vocati estis, quia et Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, ut sequamini vestigia ejus. Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ipsius. Qui cum malediceretur, non maledicebat: et cum pateretur, non comminabatur (I Petr. II, 21 et seqq.). Dominus autem voluit mundare eum a plaga, quam lancea militis percussus acceperat. Sive conterere eum in infirmitate ac vulnere: de quo et ipse dicebat: Quoniam quem tu percussisti, ipsi persecuti sunt (Ps. LXVIII, 27). Et per Zachariam loquitur Deus: Percutiam pastorem, et oves dispergentur (Zach. XIII, 7). Ergo ut pateretur non fuit necessitatis, sed voluntatis Patris et suae, ad quem ipse dicebat: Deus, ut facerem voluntatem tuam, volui (Ps. XXXIX, 9). De quo et supra legimus: Oblatus est, quia ipse voluit.

## (Vers. 10, 11.)

Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longaevum, et voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, et saturabitur: in scientia sua justificabit ipse justus servus meus multos, et iniquitates eorum ipse portabit.

LXX: Si dederitis pro peccato, anima vestra videbit semen longaevum: et vult Dominus auferre de dolore animam ejus, ostendere ei lucem, et formare intelligentiam. Justificare justum bene servientem multis: et peccata eorum ipse portabit. Juxta Hebraicum hic sensus est: Si posuerit pro peccato animam suam ille quem Dominus conterere voluit, sive mundare, videbit semen longaevum, quod seminavit in bona terra. De quo in Evangelio scriptum est: Exivit qui seminat seminare; et iterum: Simile est regnum coelorum homini qui seminavit bonum semen in agro suo (Matth. XIII, 3). Et voluntas Domini in manu illius dirigetur, ut quidquid Pater voluit, illius virtutibus impleatur, dicentis ad Patrem: Ego servavi eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Custodivi, et nemo ex his periit, nisi filius perditionis. (Joan. XVII, 12). Semen autem videbit aeternum, et voluntas Patris in manu illius dirigetur: quia laboravit anima ejus multo tempore, requiem non inveniens in Judaeis, et dicens in Evangelio: Vulpes foveas habent: et volucres coeli, nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet (Matth. VIII, 10). Et in hoc eodem Propheta: Laboravi sustinens (Isai. I, 14). Quia igitur laboravit, videbit Ecclesias in toto orbe consurgere, et earum saturabitur fide. Denique cum esuriens et sitiens sedisset super puteum Jacob (Joan. IV), medium diem sole torrente, emptis cibis uti noluit, quia jam Samaritanae, et exeuntis ad eum civitatis Sichem fide satiatus erat. Juxta quem sensum dicebat inter octo beatitudines: Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam (Matth. V, 6). In scientia sua, id est, in doctrina, ipse justus, qui peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus: et servus Patris, qui formam servi acceperat, et Domini servierat voluntati, multos justificabit de tote orbe credentes. Et iniquitates eorum ipse portabit, quas illi portare non poterant, et quarum pondere opprimebantur. Juxta Septuaginta hoc dicitur: O vos, propter quorum peccata Filius Dei est ductus ad mortem, qui pessimi, et in malo divites, dati estis pro sepultura et morte ejus, si volueritis agere poenitentiam, et pro peccatis vestris

offerre sacrificium placens Deo, spiritum contribulatum, videbit anima vestra semen longi temporis, ipsum Dominum Salvatorem. De quo in octogesimo octavo psalmo canitur: Semen ejus in aeternum permanet, et thronus illius sicut sol in conspectu meo. Et iterum: Ponam in saeculum saeculi semen ejus, et thronum illius sicut dies coeli. Quod aliis verbis ad Virginem Gabriel loquitur: Ecce concipies in utero et paries: qui Filius Altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus thronum David patris sui, et regnabit super domum Jacob in sempiternum: et regni ejus non erit finis (Luc. I, 31, 32). Vult enim Dominus auferre de dolore animam ejus, qui dixerat: Tristis est anima mea usque ad mortem (Matth. XXVI, 38), ut crucis contumelia resurrectionis gloria temperetur. Et ostendere ei lucem, ut omnes per se videat illuminatos. Et formare intelligentia, subauditur eum, super quem descenderit spiritus sapientiae et intellectus. Et justificare justum, qui bene multis servierit; non enim venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret (Matth. XX), in Petri pedibus (Joan. XIII), cunctorum Apostolorum peccata abluens. Qui apparuit in carne, justificatus est in spiritu. De quo et Judas proditor confitetur: Peccavi, tradens sanguinem justum (Matth. XXVII, 4). Et uxor Pilati: Nihil tibi sit et justo illi: multa enim passa sum hodie in somnis propter eum. Et notandum quod non justificatus sit, ut de iniquo, justus fieret. Sed justus justificatur, non ut inciperet esse quod non erat; sed ut quod erat omnibus appareret. Iste justus pro iniquis passus est, ut omnes nos offerret Deo. De quo dicitur ad Judaeos: Et negastis sanctum et justum, et petistis ut vir homicida donaretur vobis (Act. III, 14). Et peccata, inquit, eorum ipse portavit; quasi medicus languores aegrotantium, quo sani non indigent, se hi qui male se habent (Luc. V).

## (Vers. 12.)

Ideo dispertiam ei plurimos, et fortium dividet spolia: pro eo quod tradidit in mortem animam suam, et cum

sceleratis reputatus est: et ipse peccata multorum tulit, et pro transgressoribus rogavit.

LXX: Propterea ipse possidebit multos, et fortium dividet spolia: pro eo quod contaminata est in morte anima ejus, et cum iniquis reputatus est, et ipse peccata multorum suscepit, et propter iniquitates eorum traditus est. Causas reddit cur post passionem multa Christus praemia consequatur. Quia, inquit, passus est, et fecit omnia quae praeteritus sermo descripsit, et iniquitates multorum ipse portavit: propterea dividam ei plurimos, ut pro parte Domini Jacob, et funiculo haereditatis illius Israel, credant in eum de Oriente et Occidente venientes, et recumbant in regno Dei cum Abraham, Isaac et Jacob (Matth. VIII): impleto illo quod scriptum est: Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae (Ps. II, 8). De quo et in hoc eodem Propheta legitur, Erit radix Jesse: et qui resurget ut principetur gentium, in ipso gentes sperabunt (Isai. XI, 10). Isti autem plurimi quondam a fortibus tenebantur; et sub specie asinae et pulli, multos habebant dominos, quibus dixerunt Apostoli: Dominus eos necessarios habet (Matth. XXI, 3). Qui fortes erant antequam Christus humanum corpus assumeret, et forte superato, diriperet domum ejus. Praedam ergo fortium Apostolis suis tradidit atque divisit, ut Petrus, Jacobus, et Joannes, circumcisi populi principes fierent, et Paulus et Barnabas mitterentur ad gentes, locis, non animo separati, et sub uno Domino in diversa starent acie, ut agminis utriusque victoria, triumphum erigerent Salvatori. Ex quo qui dispensatoriam inter Petrum et Paulum contentionem (Act. XV) vere dicunt jurgium fuisse atque certamen, ut blasphemanti Porphyrio satisfaciant: et veteris Legis caeremonias in Ecclesia Christi, a stirpe credentis Israel asserunt esse servandas, debent et auream in mille annis exspectare Jerusalem, ut victimas immolent, et circumcidantur, ut in sabbato sedeant, dormiant, saturentur, inebrientur, et surgant ludere, qui ludus

offendit Deum. Hoc diximus propter id quod nunc prophetatur: Et fortium dividet spolia (Is. LIII, 12). Juxta illud quod in alio loco scriptum est: Cum divideret coelestis reges in ea. Et iterum: Rex virtutum dilecti, et speciei domus dividere spolia (Ps. LXVII, 13). Denique super Paulo apostolo, qui de tribu Benjamin erat, juxta Hebraicum dicitur: Benjamin lupus rapax: mane comedet [b 1Kb] , et ad vesperum dividet spolia (Gen. XLIX, 27). De quibus et ante jam diximus: Laetabuntur in conspectu tuo, sicut qui laetantur in messe, et sicut qui dividunt spolia (Isai. IX, 3), in toto orbe sibi Christi Ecclesias dividentes. Propterea accipiet gentes plurimas, qui venit praedicare captivis remissionem, et captivam prius a diabolo atque daemonibus duxit captivitatem, et dedit eam dono hominibus atque credentibus, quia tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis sive iniquis reputatus est (I Cor. IX). Si enim Apostolus ejus his qui erant sine lege, factus est quasi sine lege; cum non esset sine lege, sed esset in lege Christi: quare non et Christus cum iniquis reputatus sit, ut iniquos redimeret a peccato, et omnibus omnia fieret, ut omnes salvos faceret? Peccata enim nostra portavit in corpore suo (I Petr. II), ligno crucis affigens ea, ut deleret chirographum, quod diabolo et angelis illius feceramus, scriptum manibus animae, id est, operibus ejus. De quibus Paulus apostolus loquitur: Et vos cum essetis mortui in peccatis, et in desideriis carnis, vivere fecit cum Christo, donans nobis omnia peccata. Et delens quod adversum nos erat chirographum, quod erat contrarium nobis; et ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: spolians principatus, et potestates dehonestavit, confidenter triumphans de eis (Eph. I, 2; Coloss. II, 14, 15). Iniquos autem cum quibus reputatus est, Marcus Evangelista latrones intelligit, scribens: Et crucifixerunt cum eo duos latrones: unum a dextris, et alterum a sinistris. Et impleta est Scriptura quae dicit: Et cum iniquis reputatus est (Marc. XV, 27). Quod et altius intelligi potest, dicente de semetipso Domino: Reputatus sum cum descendentibus in lacum: factus sum sicut homo sine

adjutorio inter mortuos liber (Ps. LXXXVII, 4). Vere enim reputatus est inter peccatores et iniquos, ut descenderet ad infernum; qui in multis Scripturarum locis vocatur lacus, et vinctos in carcere liberaret. Qui traditus est propter peccata nostra, et resurrexit propter justificationem nostram (Rom. IV). Tantaeque clementiae fuit, ut pro transgressoribus, immo pro persecutoribus suis rogaret in cruce, et diceret: Pater, ignosce illis: quod enim faciunt, nesciunt (Luc. XXIII, 34).

>>Sequitur Pars 4>>